



GAUDEO.





HORNII (Geo.) De Originibus Americanis., 12mo. calf, Hague, 1652.
"Written to support the opinions advanced by De Laet on the antiquity of the peopling of America, in answer to Grotius."


GEORGI HORNI

De ORIGINIBUS AMERICANIS

LIBRI QUATUOR.



HAGÆ COMITIS,
Sumptibus ADRIANI VLACQ,
CIↃ IↃ CLII.



ILLVSTRI, MAGNIFICO,

Nobilissimo & Amplissimo,

Civitatum

NOVIOMAGI,
ZUTPHANIÆ,
ARNHEMI,

MAGISTRATUI,

CONSVLIBVS, SENATORIBVS,
SCABINIS, PATRIÆ
PATRIBVS,
DOMINIS SVIS,

Eorumque

SECRETARIIS
fidelissimis,

D. D. C.

GEORGIVS HORNIVS.

* Non

NOn argumenti fiducia, quod à curis pro Republica vestris alienum esse novi, sed multis & gravibus de causis, Americanas has Origines, vobis offerre & inscribere visum, MAGNIFICI, NOBILISSIMI & PRVDENTISSIMI DOMINI. Ut nihil nunc de eo dicam, vos præclaræ eruditionis, ac imprimis illius, quæ rerum ab omni ævo gestarum seriem persequitur, & propria illorum est qui in Republica versantur, Mæcenates esse & cultores incomparabiles. Quis ignorat quo hactenus studio, beneficentia & liberalitate, conditam recens communi Illustrissimorum DVCATVS GELRIÆ &

COMITATVS ZVTPHANIÆ ORDINVM decreto Academiam, ejusque Professores, vestræ imprimis civitates foverint, & bonæ imposterum de uberiori ejus incremento, Spei vexillum erexerint? Et id quidem immortali laude dignum factum, non modo ordo noster grata mente agnoscit, verum exteri quoque & hujus gloriæ æmuli, magnopere commendant. Non satis erat debellasse ferocissimos hostes, nisi etiam barbaries in animis hominum exscinderetur ac ignorantia divinarum pariter & humanarum rerum. Quæ quo latius indies, fota ut videtur inter Martias has tempestates, serpit, & jam integras nationes, templa

ſimul ac Scholas, ſacra & profana, velut lues quædam & triſte contagium occupat; eo majori animo, à vobis RERVMPVBL. RECTORIBVS, quibus ipſe DEVS hanc cœlitus commiſit curam, huic malo, perniciali ſane ac deplorando, eundum obviam eſt: quemadmodum contra Oceani & fluminum inundationes, ne cuncta undis ſubſidant, aggeres moleſque opponuntur. Neque vero hanc mentem Fœderatis Belgis à ſupremo numine, alias ob cauſas inſpiratam exiſtimare fas eſt, quod ſingulæ Provinciæ ſingulas ſibi conſtituerunt vel Academias vel Illuſtres Scholas, niſi ut hac ratione vera in Eccleſiis conſervaretur Religio, ſimulque

que Reſpublica optime admi-niſtraretur. Non movere ſa-pientiſſimas nationes potuerunt quidam barbaris & incultis hor-rentes ingeniis, qui Muſas omnes ut viles & rebus gerendis ineptas refugiunt iiſque nobilitatem & Martios Spiritus contaminari putant: contra quos non aliis, quæ proferri innumera poſſent, argumentis, quam veſtro, qui Scholarum & Academiæ impen-ſam curam geritis, judicio & Authoritate pugnabimus. Igi-tur, jactent pyramides ſuas Ægy-ptii & Coloſſum Rhodus; alii et-iam de barbais nationibus triū-phatis glorientur, quorum hoc non niſi in corpora imperium victoribus conciliat; illa

imber edax aut aquilo impotens
Possunt diruere:

Monumentum à vobis Palladi consecratum est *ære perennius*: & cujus longe majores sunt ac uberiores fructus, quam ut cum evanidis illis & perituris operibus comparari debeant.

Quæ etiam me, inter alias, ratio movit, Cur vobis, ILLVSTRES, MAGNIFICI, NOBILISSIMI & AMPLISSIMI DOMINI, Commentarium hunc de Americanis Originibus, inscribendum putarim. Nam cum varia hactenus ex Academia Gelrica in lucem prodierint, consecrata ORDINIBVS eorumque DEPVTATIS, CVRIÆ SENATORIBVS ac CVRATORIBVS, restabat ut civitatibus

bus quoque Gelricis, quas inter principem veſtræ locum ac præcipuam dignationem obtinent, pro inſigni illa liberalitate, favore, animi propenſione, gratias ageremus. Quas quidem uberiores & meritis tum erga Remp. veſtris, tum in noſtrum ordinem beneficiis dignas, ipſa, optimus laudabilium actionum arbiter, poſteritas rependet.

HARDERVICI.

Kal. Ian. cIↃ IↃC LII.

PRÆFATIO

Ad

LECTOREM.

DE *Americanis originibus, jam ab aliquot annis, hoc quod vides opuſculum, conſcripſi,* Amice Lector, *ſuaſu imprimis Iohannis Latii, poſtquam is Hugonis Grotii opiniones novas confutaſſet. Ab eo tempore inter ſchedas abjectum jacuit, cum partim Anglicana peregrinatione, partim variis impedimentis diſtractus, omnem de eo edendo curam abjeciſſem. Nam & mutato vitæ genere, cum magis ſeria agere cæpiſſem, non levis averſatio inquiſitionum me cepit ac pretioſum tempus longe utilioribus & magis neceſſariis impendi poſſe ac deberi exiſtimabam.*

Neque

Neque vero id publici juris unquam facere constitueram, nisi postquam otium nactus, id in manus obiter sumsi, ac intra paucos dies recensui, ita tamen ut nihil fere mutarem, sed prout olim conscriptum à me fuerat, ita relinquerem. Non caret magna difficultate ipsa hæc originum, etiam nostri orbis, inquisitio, unde conjectura fieri potest quam impeditum, obscurum ac difficile sit, incogniti majoribus nostris & novi adhuc, nec dum satis explorati orbis, primordia aperire. Unde intra sesqui seculum nemo repertus qui de eo argumento quicquam statueret quod vel probabilibus niteretur conjecturis: Sed contenti omnes fuerunt generali quadam Originum, sive ex Scythia, sive aliunde, designatione. Primus Hugo Grotius pro Norwagis, Abissinis

& Sinensibus stylum strinxit ingeniose quidem, sed infelici successu. Post quem aliquid Comtæus conabatur sed & ipse oneri succubuit, nec instructus fuit iis subsidiis quæ ad hoc opus requirebantur. Ego horum exemplo excitatus, primo quidem diligenter evolvi Americanarum rerum scriptores; deinde quicquid pro Originum argumento facere videbatur, cum antiquis Græcis pariter & Latinis atque etiam Hebræis contuli: ac certis argumentorum classibus constitutis, Phœnicum, Scytharum, Hunnorum, Turcarum, Tatarorum, Chatæorum, Mogolum, Lapponum, Samojedarum, Iaponiorum, Sinensium aliarumque Asiaticarum nationum clara per Americam indicia, deprehendi. Qua quidem occasione non pauca Geographica inseruntur,

runtur, maxime quæ Asiam borealem & Americam illustrare possunt, haud aliena ab hoc argumento curiositate. Nam tota fere Asia, si littorales nautis nostris cognitas partes excipias, innumeris fœdata est erroribus, ac nihil fere sani apud scriptores, Geographos & Historicos, habet. Persiam aliquomodo illustrarunt nuperi Holsatiæ Ducis ad Scha Sefin Legati: Sed longe plura ex Nubiensi haberi possunt, quem in Tabulas redactum, non absque ingenti labore, fortasse publicabimus. Chowarasmiam & Mawaralnahram nuper ex Abulfeda Iohannes Gravius illustravit. Qui Abulfeda, ut hoc obiter addamus, præteritum in vita ejus à Gravio, filius Muhammedis Calavonis Almelic Annasir, Regis Ægypti & Syriæ,

riæ patre & fratribus regnantibus, Hamam Syriæ urbem celebrem ac præfecturam gubernavit, donec amoto fratri suo Almedi Assalih A. Hegiræ IↃCCXLIII. Ch. CIↃ CCCXLII. *in Imperio succederet. Præfuit autem Ægypti regno non nisi per triennium. De quo in Chronologicis ex professo & latius. Hæc igitur Asiæ exterioris ignorantia, non minimam Originibus Americanis obscuritatem attulit, cui illustrandæ nihil sane magis necessarium exactiori ejus notitia, quam recentiorum peregrinationes & Arabum scripta interdum suppeditant. Quod si Novo Zemlanæ Batavorum navigationes in Sinam successissent, tum proculdubio posituræ Americæ & Asiæ extima ita jam innotuissent, ut de migratione gentium nulla amplius*

super-

ſupereſſet dubitatio. Nunc contenti eſſe cogimur paucis quibuſdam indiciis, ex quibus tamen conjectura fieri valde probabilis poteſt, alicubi in ſeptentrione terras illas coire vel glacie jungi. Ac ut gentium locorumque per Europam, Aſiam, Africam & Americam convenientia uno intuitu innoteſceret, tabulas confeci duas, quarum una migrationem Phœniciam; altera Scythicam, complectitur; quas quia opuſculi ratio, ut infererentur, non tulit, talium curioſo alia occaſione exhibebimus. Quod Iudæi America excluſi, mirum multis videbitur, qui tum Tataros eorum progeniem exiſtimant, tum recenti famæ fidem adhibent, qua repertas in America decem tribuum reliquias, quidam nuper inde reduces, viri, ut nonnulli putant, fide digni, ſerio affirmarunt.

Ego

Ego necdum in illam sententiam concedere possum : quanquam non negem quosdam eorum una cum Scythis Americam immigrasse ; ita ut nec tribum conficerent nec peculiarem nationem, sed exuta paulatim inter barbaros, ut fieri solet, natura, etiam Iudæi esse desierint : sic tamen ut quædam antiquitatis suæ & Originis vestigia retinerent. Qualia sunt Josephi *nomen apud Hurones, & in Souriquosiorum Cantilenis vox* Alleluia *frequens, Escarboto teste, ac quod apud Iucatanenses plurimi barbarorum narrant:* Se à majoribus suis accepisse, provinciam illam primum cultam fuisse à gentibus quæ ab Oriente post varios errores eo venerint & numinis auxilio ab aliarum gentium injuriis liberatæ, per

per mare, apertis utrimque fluctibus, evaserint.

Id quoque monendus es, Lector, *quod cum, me absente hæc ederentur, hinc inde Sphalmata typographica, quod moris, irrepsisse, quæ quidem omnia consignassem nisi partim levia deprehendissem & quæ ex contextu facile à quovis emendari possent: partim gravi morbo, dum editio ad finem properat, afflictus, parum vel virium vel voluntatis retinuissem ad laborem illum suscipiendum. Vale Amice Lector, ac imposterum, Deo volente, magis seria & utilia à nobis expecta.*



DE ORIGINIBVS AMERICANIS,

Conſcriptis

A Clariſſimo & Excellentiſſimo Viro

GEORGIO HORNIO,

Hiſtoriarum ac Politices in illuſtri Gelrorum Academia Profeſſore Ordinario.

QUo robur divinum animi, quo vividus ardor,
Atque Columbini ſuaſerunt ire volatus,
Percuſſus laudum ingenti Veſputius œſtro,
Velivolâ rate contentus, quem claudere triplex
Non potuit mundus, cælo duce fretus, & uſu
Pyxidis arctoæ, tot monſtris Nerea fœtum,
Tot ſcopulorum æſtus maria inter fuſa minantum,
Navifragoſque notos, tempeſtatumque furores
Deſpiciens veluti ex alto impavidiſſimus Heros
Ivit, & Herculeos late ſuperavit honores.
Primus in ignotum penetravit Americus orbem,
Inventamque ſuo terram de nomine dixit.
Cedite fœlices Arabum, Serumque labores,
Totiuſque orientis opes, Veſputia tellus
Ditior eſt, nuſquam terrarum opulentia tanta:
Ut peregrinari reliquis videatur in oris,
Heic fixiſſe ſtatam Regina pecunia ſedem.

Lux

Lux ea, quam vates toties cecinere futuram
Fatidici, tandem, completo temporis orbe,
Emicuit; novus en Typhis, nova prodiit Argo,
Sed melior Typhis, sed fortunatior Argo:
Illa ingens tellus patet, ille Platonicus Atlas,
Oceanusque pater laxavit vincula rerum,
Ac media est, adeo mundi non ultima, Thule.
Iam mihi Thessalicæ vilescit fama carinæ;
Illa quidem auratam Colchis avertere pellem
Callida votivis remeavit operta corymbis.
At laudis non ista tuæ centesima pars est,
Componi ne digna quidem, Vesputia puppis.
Aurifero Europe quod diffluit imbre quotannis,
Prodigaque huc pleno quod mittit aromata cornu
Copia quottidie, tibi nos debere fatemur.
Quare, si facti pretium jus sideris arbor
Pelias obtinuit, potiori id jure mereris,
Florentina ratis, tuque ô fortissime ductor,
Dignus es, ut medius Polluce ac fratre cotusces
Certa fides dubiis & sidus amabile nautis.
Dicite, quandoquidem vos hæc quoque scire putandum est,
Dicite Pegasides: quæ gens ab origine primâ
Incoluit, qualique viâ devenit in orbem
Occiduum? veterine cohæret America mundo,
An pelagi vastis penitus discernitur undis?
Unquam Asiæ, Lybiæve innotuit, Europæve?
An vero solidos tantæ regionis honores
Fata reservarunt ævo fœlicia nostro?
Sic ego: sic infit contra pulcherrima Clio,
Lauru ornata comas, dextram Libanitide cedro:
Par desideriis tantis, votisque replendis
HORNIADES meus est; illum ad mysteria nostri
Intima concilii, Clario sciscente Senatu,
Ipsa ego deduxi, mentemque liquore beato
Imbutam docui sacras evolvere sorteis,
Omnibus absolvi numeris, & rito sacravi,

Ut

Ut jubare ingenii terras lustraret opacas;
Ac nostras, Phœbique vices interpres obiret.
Sive Caledoniæ funesta tonitrua terræ,
Veraque civilis memoraret semina belli,
Ipsa ego direxi calamum scribentis, & aureum
Infudi laticem; totius in æquore chartæ
Palladis, ac nostri genuina refulget imago.
Sive recenseret culti monumenta Severi,
Atque redonaret statui, priscoque nitori,
Aonii plausere chori. Quem fulmina doctæ
Non cieant linguæ vibrata frequente theatro?
Quis non tot linguas uno miretur in ore?
Gratior est animo veniens doctrina sereno.
O niveos HORNI *mores! ô cordis aperti*
Delicias, vulgo ignotas, sæclique prioris
Relliquias! ut præ vobis mihi nectar Hymetti
Sordet odoriferi, & mellis fragrantia puri!
Mens humilis; sed tota Dei est, incoctaque honesto,
Cælorum terræque capax, & fluxit ab ipso
Sæclorum quodcunque Chao: penetralia rerum
Involat aligero pervestigatque meatu.
Vesputi I *decus, Hesperios aperire latentes,*
At vero ignotas nota ad cunabula gentes
Artifici revocare manu, brevibusque tabellis
Complexa occidui fata abstrusissima mundi
Excutere ad veri legem, normamque fidelem
HORNIADÆ *laus est, sibi quam bene vendicet uni.*

Amico Summo P.

JOH. VVITTEN.

DE



DE ORIGINIBUS GENTIUM AMERICANARUM, LIBER PRIMUS.

CAP. I.

Scopus operis. Descriptio Americæ. Ejus detectio.

RES Americanas, ab ipsa gentis origine, ad Europæorum in eam adventum, scribere animus est. Vbi & major, quam in cæteris mundi partibus, difficultas, & obscuriora omnia; Origo, mutationes, bella, Imperia. Digna ad omnem antiquitatem tendentibus materia; ubi videre licebit barbariem cum humanitate, crudelitatem cum fortitudine certantes: multa benè prudenterque dicta factaque: multa turpiter & perfidè: quid in barbaris scelus, quid virtus potuerit: quibus artibus in tantam molem duo maxima Imperia excreverint. Denique Phœnicum priscas reliquias & per Septentrionem irrumpentes Hunnorum, Kitai-

 norum,

norum, ac Sinensium gentes, mirabimur pariter atque tot seculis ab orbe nostro & notitia in alium sepositos, agnoscemus.

America terrarum pulcherrima, ingentibus in utrumque Oceanum spatiis, inter Orientem ac Occidentem media jacet, ac passim læta viriditate, in omnia frugum genera fertilis, exultat.

Qua Æquatori proxima, coeuntibus paulatim in arctum littoribus, Isthmum crebris horrentem montibus habet, cujus interventu ingentes peninsulæ, ne uterque coëat Oceanus, connectuntur. Ad eum sinum qui nostro mari adjacet, innumeræ insulæ, quas olim continentem unam magna parte fuisse, & incolæ narrant, & creditur. Nihil iis beatius: & hæ demum fortunatæ antiquorum insulæ sunt. Ab Isthmo, velut angustias suas dedignata, versus utrumque Cardinem, sed major in austrum, uno tractu, effunditur. Vbi terminetur in septentrionibus, sitne in immensum terra & nostro alicubi annexa Orbi, an freto vel mari abscissa; quæsitum hactenus & adhuc dubitatur. Illud certum, hinc ad Gronlandiam, illinc ad Asiam, prope continuis littoribus extendi. Planior ad boream & rigidior: alicubi per multa millia passuum sterilis pariter & deserta. Non arbor visentibus, non herba, non, quod mirandum, saxum occurrit. Immensum

menſum frigus & ſupra noſtrum; equis imprimis lethale & intolerandum; ſed & calor intenſior, non tamen Africano comparandus. Qua Tropicis ſubjacet undique montoſa: nec ullibi integrum Horizontem ſpectantibus exhibens. Littora ejus humida & calida, crebris arenis & paludibus fœda. Montes, ut pecorum ac metallorum fœcundi: ita frequenter habitabiles. Omnium pulcherrimæ convalles & temperatiſſimæ, Elyſios quoſdam campos viſentibus ingerunt. Sub ipſo Æquatore altiſſimi montes feſtinatis nivibus & perpetua hyeme rigentes, ob frigus inacceſſi. Hinc continua ſerie ad Magellanicum uſque diffuſi fretum: auro & argento ſupra fidem graves, & æternis paſſim ignibus ad terrorem flagrantes, littora proſequuntur ſimul & deponunt. Tam mirabili temperamento, ut quicquid priſci ſapientes de Torridæ caloribus tradiderunt, una hæc & barbara explodat. In Nova Hiſpania à Novembre ad Aprilem cœlum ferè ſerenum, veſperi turbines pulverem, Tenoxtitlanæ propemodum lethalem, alibi non adeò noxium, impetuoſè agitant. Cætera anni pluviæ infeſtant: & quo ſol propior, eo vehementiores: unde aëris ad littora gravitas, nec cœlum alicubi Sardo mitius. Peruvia qua mari alluitur, ſiticuloſa & terræmotu immaniter laborans. Pluviæ ſi cadant, miraculis accenſetur: quod

depressa littora & arenis obruta; & altissimis præcincta montibus & ventorum terrestrium egena, materiam pluviis generandis elevare non possint. Vnde in editioribus circa Guaiaquil, Aricam & Arequipam regionibus, ubi ventis perflatur, nonnunquam pluit. Mox non longe à littore digressis, nix, pluviæ, tonitru, omnia vehementia. Diversa in montibus & ad maritimam oram temperamenti ratio facit, ut in Mala circa Limam, ficus, prout hiems æstasve in montibus, sic dimidia sui parte, vel fruges ferat vel sterilis sit. Auster alibi gravis, hic saluberrimus, & absque eo inhabitabilis omnis ille tractus. Aer in montibus Pariacacca penetrantissimus & licet herbas exurat, raro letalis: nisi quod ipsa vitalia immensis doloribus torquet. Qua Chilen tangunt, antequam sentias interimit, torpenti veneno spiritus adurens; unde cadaverum incorrupta hinc inde funera, quæ commeantibus non raro contra frigus munimento fuerunt. Lacus passim ingentes. Mexicanus duplex, salsis pariter & dulcibus aquis scatens. Titicacam occultis sub terra meatibus in australem Oceanum aquas suas deferre, sunt qui existiment. In Guancavelica ut effluxerunt aquæ calidæ, lapidescunt: bibenti lethales sine dubio, quod potæ intra viscera in lapidem concrescant. Sunt quæ bitumen, sunt quæ sal fundunt.

dunt. Flumina in nostrum Oceanum immania, nec iis alibi terrarum similia, se exonerant. Qua Asiam respicit exigua & ex vicinis montibus incredibili celeritate præcipitata. Interiora ad Meridiem ferè tota submersa, conclusis utrinque inter altissimos montes nivalibus undis & stagnantibus hinc inde fluminibus. Arborum miranda proceritas: quæ alicubi tam crassæ, ut sexdecim hominum manu junctorum lacertis vix concludi queant & unius apud Guaxacam umbra mille hominibus æstum facile defendat. Animalium frequentissima copia: Sed equi indigetes non reperti. Leones, Vrsi, Tigres, lupi, vulpes, tauri, vaccæ, lepores, cuniculi, & ejus generis alia, ut apud nos: incognitorum complura genera.

CAP. II.

Variæ de Originibus Americanis opiniones. Columbi, Vatabli, Stephani. *America pro India Orientali habita. Hispanos à Mauris fugatos in Americam venisse.* Theoph. Paracelsi. Ariæ Montani. *Ophir an Parvajim. Iucatan an à Iok'an. Nomen Peru unde.* Postelli. *Origines ad Isthmum divisas.* Lerii. *Chananæi in America.* Genebrardi. *Decem tribus Israëlitarum in Tataria & America.* Tornielli. Acostæ. Goropii Becani. Marinæi Siculi. *Romanos in Americam venisse.* Pauli Jovii. *Mexicanos in Galliam venisse. Americani tempestatibus in nostrum orbem ejecti.* Suffridi Petri & Hamconii. *Americanos à Frisiis.* Fr. Bivarii. Jacobi Charron. *Americanos à Gallis*, Abrahami

Mylii. *Americanos à Celtis Priscis nota Borealis America.* Nicolai Fulleri. *Americanos à Cushi posteris.* Athanasii Kircheri. *Americanos ab Ægyptiis.* Emmanuëlis de Moraes. *A Carthaginensibus* Edoardi Brerevvoodi. *A Tataris. Aliis ab Islandia.* Marci Lescarboti. *A Chananæis. Noacho nota America.* Hugonis Grotii. *A Norvvagis, Abissinis, Indis Oriental. & Sinensibus* Johannis Latii. *A Tataris & australibus.* Roberti Comtæi. *A Phœnicibus.* Roderici à Castro *A Pœnis.* Cottoni *Iesuitæ impietas. Difficultas quæstionis unde.*

IN hunc orbem superiori seculo naves ex Europa delatæ, inaudita omnia; monstra maris, ambiguas hominum ac belluarum formas, retulêre. Sed unde hic novus orbis; unde illa hominum & animalium immensa multitudo: qui ejus incolæ: quibus terris profecti, quæ viæ ignorantibus apertæ: quid eos tantum ab Origine sua mutarit; inexhaustæ difficultatis quæstio, plurimorum hactenus industriam fatigavit. Adeo ut superioribus annis in Hispania curiose disputatum fuerit: *Vtrum Indi ab Adamo oriundi an vero media quædam species inter simios & homines essent.*

Igitur quam primum admirabilis Colonus in Americam penetravit, excitata sunt apud Europæos ingenia, nec in minori laude positum originem tot gentium ostendisse, quam detexisse terras. Et vix dici potest quantum novitas rei omnium & animos & industriam sollicitarit. Primæ

Primæ conjecturæ fuerunt hanc esse ipsissimam Ophiram, quod Colono & Francisco Vatablo sive Roberto Stephano visum. Nam & Colonus initio putavit se in Indiam Orientalem & Iapanem delatum, haud miro, ut in tanta novitate errore, quem & postea Melanchthon erravit, cum repertam à Cortesio Temistitanam pro Quinsai, de qua Venetus, acciperet. Alii Atlanticam nominarunt cujus Plato mentionem facit. Nonnulli repertas Carthaginiensium colonias, & ab ipsis navigantibus clausum mare, iterum apertum gloriabantur. Quidam, teste Gomara, Hispanos à Mauris, victo VValidi auspiciis Roderico, in Americam navibus fugisse, argumento crucium in Iucatana repertarum, putarunt. De quo memorabilis locus apud Antonium Gavalum extat, referente Purchasio in hæc verba: *Anno* CIↃ CCCC XLVII *Portugallus quidam navigans extra fretum Herculeum, adversis ventis in remotam Insulam Occidentem versus abreptus fuit, & in ea invenit septem civitates, quæ Portugallorum Lingua loquebantur, & interrogabant an Mauri adhuc vexarent Hispaniam, unde amisso Roderico fugati sint. Putant hanc regionem fuisse novam Hispaniam.* Hæc splendide conficta esse quis non videt? Nimirum, quia Hispani Sanctium quendam de Vlloa sive Huelva confinxerant, qui ante Columbum Americam

 adierit,

adierit, etiam Portugallis visum gentis suæ famam sub eadem fabula promovere. Nisi tamen Hispanos Canariarum tum temporis sub Bethan courtio habitatores, intellexerunt. Gomara opinionem hanc ea imprimis ratione confutavit, quod in Insulis, ad quas primo venire necessum fuerit, nullæ cruces repertæ sint. Hispani vero, ut jus sibi suum in illas terras quasi postliminiò vindicarent, fabulam de crucibus repertis, & fuga gentis suæ metu Maurorum, confinxerunt. Omnium stultitiam Theophrastus Paracelsus exhausit, qui duplicem Adamum, alium in Asia, in America alium creatum asserit. Arias Montanus singulare quid, pro Originibus Americanis, ex Hebræa Lingua sibi deprehendisse visus fuit. Nam cum australis illa pars nomen Peruviæ incertum quo casu, exiguo certe à rivo & Provincia tulisset, non jam amplius dubitandum putavit, quin Ophir & Parvaim sint America. Cujus de hac re in Phalego sententia talis est: *Iuktanis posteritatem ex Oriente in Americam venisse. Et hoc innui cum dicitur:* habitationem ipsorum fuisse usque ad montes Orientis Sepher. *Hos Andes esse, in quibus supersit antiquissima urbs Iuktan. A Iobab ortos Pariæ incolas. Ab Ophir eos qui Novam Hispaniam & Peruviam tenent, quæ regiones per transpositionem literarum Parvaim dictæ fuerint, duali numero ad desi-*

designandam utramque peninsulam. Atque has regiones Orientalibus Indis notissimas fuisse, qui omne aurum Ophiraeum inde petierint. Ab Indis notitiam ad Israëlitas delatam. Nam Salomonem Peruvianum aurum ex Orientali India apportasse. Quae opinio caeteris subtilior est, sed nullis idoneis rationibus fulta. Quis enim montes Sepher de Andibus explicet? Neque uspiam urbs ulla Iuktan, nisi Iucatanam regionis nomen ab Hispanis per errorem confictum, intelligat. Ac mirum est tot magni nominis viros in hanc opinionem concessisse, Postellum, Becanum, Possevinum, Genebrardum, Marinum Brixianum, Eugubinum, Mornęum, Avenarium aliosque. Praecipuum Ariae fundamentum in nominis Peru ac Parvaim convenientia est. Sed satis jam constat Incarum Imperium non aliud nomen habuisse quam *Tahuantisuyo*, quod quatuor mundi plagas denotat. Nomen Peru ab Hispanis demum repertum eodem errore quo Iucatan. Beru nomen piscatoris erat. Is rogatus à primis detectoribus de nomine regionis, Beru respondit, hoc sibi nomen esse innuens. Illi statim Peru vocarunt, quicquid terrarum ingenti tractu usque in Chilen excurrebat. Hanc veram hujus nominis Originem esse Garcilasso Inca, magnae in antiquitatibus majorum suorum fidei, tradit.

Primus omnium Postellus, animadverso

gentium Americanarum diſcrimine, origines ad Iſthmum diviſit. Cujus hæc opinio fuit. *Auſtralem partem ex Aſiatica India colonos ab Ophir & aliis Ioctani poſteris accepiſſe. In Septentrionales oras, ex Mauritania navibus Atlantios trajeciſſe.* Quorum originem ex ſuppoſititio Beroſo Viterbienſis Monachi à Chamo ducit. Qui profugus in Italiam ad Iapetum fratrem alio nomine Atalum & Italum dictum primò venerit: hinc in Mauritania ſedibus fixis & montem & mare Atlanticum, fratris amore, ac deſiderio nuncuparit. Poſtea miſſos in oppoſitum continentem Atlantios: unde vocis Atl crebra hodieque memoria ſuperſit. Iohannes Lerius & cum eo Gomara primus eos à Chananæis metu Ioſuæ in diverſa profugis deduxit, quorum pars in Americam trajecerit. Alii cum à Salmanaſſare decem tribus ex Palæſtina in captivitatem ductas & in Oriente memoriam earum amiſſam legiſſent in ſacris codicibus, eò devenêre ut jam, de quo vehementiſſimè dubitabatur, inventum putarent. Nimirum eas tribus ex Perſide & Babylonia in Mediam, Hyrcaniam & Bactrianam: inde per vaſta Scythiæ in extremum angulum qua Americæ Aſia imminet, delatas, in Tatarorum gentem coaluiſſe. Nam & nomen Syriacum, & circumciſio, & quartus Eſdræ liber idem probare videbantur. Genebrardus

dus ſane id à nemine obſervatum ante ſe, ut ſolet, inſolenter miratur & jactat. Cujus rationes partim, ut jam diximus, communes ſunt. Vna hæc peculiaris & ridicula quam ex nugaciſſimo Theveto deſcripſit. *In quadam S. Michaelis inſula, quæ ex Azoribus & ad novum orbem pertineat, repertum cum Hebraica inſcriptione ſepulcrum.* Tam ille rudis & ineptus fuit, ut pro Americanorum Iudaica & Tatarica Origine, ex Azoribus ſibi putarit argumentum petendum eſſe. Quaſi non ex Hiſpania venire in eam Iudæi potuerint, ac ibi tale defuncto fratri Epitaphium ponere, vel ipſe lapis ſuppoſititius eſſe. Quemadmodum ejus generis ficta monumenta Iudæorum apud Lazium primo de migratione populorum extant: quorum antiquiſſimum annos circiter IↃ LX poſt legem datam lapidi circa Viennam inciſum fertur, nimis aperto mendacio. Et quæ de Arſereth ex quarto Eſdræ movet, nimis quam frigida ſunt. Certe fabulis accenſenda: nec Acoſta negat. Auguſtinus Torniellus in Annalibus Sacris ad A. M. CIↃ IↃCCCCXXXI fuſe hanc quæſtionem perſequitur. Et quamvis rectè judicet, partim ex Oriente per Iaponiam: partim ex Septentrione per fretum Anian, à Semi & Iapheti poſteris omnem Americam inundatam fuiſſe: tamen mirum eſt, cum hanc rem abſque ullis argumentis pertracta-

tractare. Postquam cultoribus oppletæ omnes cis & uls Isthmum regiones, trajecto freto Magellanicam quoque incolas accepisse vult, qua Americæ obtenditur & proximat. Multos tempestatibus eo abreptos, ut de Annio Plocamo & Hispanis Plinius, de Indis in simili casu Cornelius Nepos tradiderint. Omnium industriam superasse Acosta visus. Qui sicut in hoc orbe versatissimus fuit : ita mirandum est, cum quæstionem hanc ex professo & prolixe quidem tractet, non nisi de via per quam gentes non tam traductæ sint quam traduci potuerint, sollicitum fuisse. Quod æquè dubiam quæstionem relinquit. Summa opinionis ejus est: *Americanos ex Asia ortos, quæ regio vel plane continua Americæ vel exiguo tantum freto ab ea divisa sit.* Quod ex animalibus probat, & quia alia via in Americam penetrare non potuerint. *Tempestatibus etiam quosdam & casu eò ejectos. Aves partim transvolasse, partim, ut cicuras, ab hominibus translatas.* Sed destinato consilio quenquam eò navigasse, præfractè negat. Hunc Goropius Becanus excipit, qui Atlantes in Americam navigasse, in Hispanicis eruditè ostendit. Sed dum febriculosas, ut solet, ex Celtica lingua, vocum Origines affert, & ex Atlante *terrarum osorem* facit, deridendum se potius lectori propinat, quam fidem dictis adstruit. Romanos in Americam venisse Ma-

se Marinæus Siculus putabat, argumento nummi antiqui effigiem Augusti repræsentantis & in Americæ fodina reperti; quem summo Pontifici Iohannes Rufus Archiepiscopus Consentinus misit. Sed nummum illum vel suppositititium fuisse, ut lapis Hermici Cajadi, vel ab Hispanis illatum ac casu amissum, putant. Solus quantum constat Paulus Iovius in elogio Ferdinandi Cortesii, ex ipsa in Galliam America Mexicanos, olim venisse, argumento humanarum hostiarum, quibus utrique litarunt, ineptius quam talem virum decebat, colligit. Nam Britanni longe speciosius jus suum in Americam à Madoco Cambro deducunt, quem circa A. Ch. cIↃ c LXX magnam eò gentis suæ coloniam duxisse volunt. Et linguam ibi Cambricam obtinuisse argumento esse vocem Britannicam *Pengvvin*, qua magna avis denotetur. Cæterum ad Iovii mirabilem opinionem addendum est, quanquam nulla orbis nostri ab Americanis orta gens sit, fieri tamen potuisse, ut quemadmodum ex nostro in illum: ita ex illo in nostrum orbem quidam tempestatibus abriperentur. Sane testatur Nepos apud Melam & Plinium Q. Metello Celeri à Rege Suevorum Indos donatos, qui ex India commercii causa navigantes tempestatibus in Germaniam essent abrepti. Similis casus in temporibus Friderici Barbarossę narratur,

ratur, Indos ſcapha Lubecam appuliſſe. Vtroſque ex terra Laboradoris & vicinis regionibus veniſſe Gomara vult. Quanquã ne hoc quidem prætereundum ſit, Acoſtam de veritate narrationis Nepotianæ ſubdubitare; eamque falſi non abſque rationibus arguit contra Grotium ſcribens Latius. Nam nemo, cui ſana mens, credere poterit, ex vera India vel Sinis per mare Tataricum, in Germaniam, mare Balticum & littora Suevorum, abreptos. Sed ſi pro Indis habitos dicas, quia ex remotis & incognitis oris venerunt, forma & moribus à noſtris alienos, quid vetat quominus ex America huc abrepti ſint? Ac omnem dubitationem in Veneta Hiſtoria Petrus Bembus adimit. Qui teſtatur, *ſcapham cum ſeptem barbaris hominibus in Oceano Britannico à Gallis interceptam.* Ex deſcriptione tum ſcaphæ tum hominum patet Gronlandos fuiſſe quos tempeſtates huc ejecerint. Factum id A. Ch. CIↃ IↃ IX. continuator Palmerii annotat.

Fuerunt qui Peruanos & Chilenſes à Friſiis deducerent, quod in Chile paſſim aquilæ bicipites, crux miraculis fulgens; quod Chile frigus Indis ſignificet. Glaucam quoque Principis Chilenſis filiam ab Hiſpanis captam, ſe ex antiquo Friſonis ſanguine oriundam dixiſſe, quod Alfonſus de Ercilla refert. Quæ fabulis ſimillima, quibus hujus etiam ſententiæ defenſores

ſores Suffridus Petri & Hamconius non inde-lectantur. Non minus falſa alia eorum traditio Friſios tempore VVillehadi Epiſcopi Bremenſis in Novi Orbis inſulas, Cubam vel Hiſpaniolam delatos, & à barbaris ingentibus moloſſis fugatos authore Crantzio. Benè ſe habet quod de moloſſis addunt: cum ne ullum quidem in illis inſulis quadrupes, niſi Hutias cuniculi formam non excedens, fuerit. Repertas in America bicipites aquilas, mirum videri non debet, cum eam avem Mexicani & Peruani vehementer coluerint & artificioſe auro, argento, picturis expreſſerint. Franciſcus Bivarius in Chronicon Fl. Lucii Dextri ad A. C. LXVI. à poſteris Ophir, quorum in Hiſpania ſedes, Americam accepiſſe incolas vult. Quam laudem Iacobus Charron in univerſali Hiſtoria ſuis Gallis vindicat, quos jam ante cIↃ IↃ annos in Americam navigaſſe cum Poſtello vult & urbem Themiſtitanam ibi condidiſſe. Sed rationibus quas affert, vix ſtudio deteriores fingere potuiſſet: quales ſunt; ab Americanis fœminas quoque, Gallorum exemplo, ad publicas conſultationes admiſſas: & ad eundem lacum, ubi Themiſtitan, Venezuelam quoque à Venetis Gallis conditam. Quæ pluſquam puerilis Geographiæ & Hiſtoriæ ignorantia eſt, cum nec ad Mexicanum lacum ſita ſit Venezuela, ſed ad ſinum Marcay-

Marcaybanum Cumanæ : & nomen illud urbi Coro demum ab Hiſpanis impoſitum, quod mediis in aquis, inſtar Venetiarum, ſita eſſet. Benzo Valentiolam appellat. Abrahamus Mylius Commentario de Belgica Lingua, Americanos omnes à Celtis ortos tradit duplici via. Primo per Orientem ex Tenduc: unde in Anian venerint. Nam utrumque nomen Celticum eſſe, & in Septentrionali America regnum Bergi. Nomina quoque Celtica, Pagod, Topos, Papa, Guaire, Lam & alia reperiri. Deinde per occidentem ex Islandia & Friſlandia in Terram Laboradoris: hinc ulterius. Et producit locum Plutarchi ex libro de Imagin. quæ in Luna apparent, ex quo colligit notum priſcis Borealem illum Americæ tractum. Nam ibi Ogygiam & Saturni Inſulam & magnum continentem poni. Multis illa potiſſimum ſententia arridet, quæ à Chamo, Chuſo, Chananæis, Carthaginienſibus, Afris Americanos deducit. Sed alii per mare Atlanticum, alii Eoum viam quærunt. Quæ poſterior Nicolao Fullero in Miſcellaneis arridet; nimirum Cushitas Indiam, Sinas & novum Orbem beneficio maris Eoi & freti Anian, quod in nonnullis locis unius milliaris Anglici cum dimidio latitudinem vix habeat, occupaſſe. Athanaſius Kircher in ſuo Copto & Oedipo Ægyptia-

Ægyptiaco, hanc laudem Ægyptiis tribuit, quod olim in Indiam, Sinam, Iaponiam, Cathaiam, Americam colonias duxerint, argumento Solis, Lunæ, ſiderum, animantium, religioſi cultus. Quæ ratio ſola non ſufficit. *Emmanuel* de Moraes in Hiſtoria Braſilienſi nondum edita, à Carthaginenſibus & Iudæis Americanos deducit, ſed ab his per infirmas rationes. *Edoardus* Brerevvoodus pro Tataris non ineleganter pugnat. Præfectus coloniæ Germanorum in Nova Anglia putavit ab Islandis ejus tractus Americanos Originem trahere, quod utriſque *Sakmakan* ſit Princeps, teſte Rogerio VVilhelmo in Nova Anglia. Omnium altiſſime rem auſpicatus *Leſcarbotus*, præterquam quod Chananæos à Ioſua fugatos in Americam tempeſtatibus abreptos vult, Noachum in Americam iter ad veterem indicaſſe patriam poſteris, ibique eorum parti ſedes aſſignaſſe, contendit. Poſtquam *Hugo* Grotius, Mylii opinionem, quanquam tacito nomine, quod ad Norvvagos, ſecutus, gentes in Americam duxit, hinc per ſeptentrionem ex Norvvagia in Islandiam, inde per Gronlandiam, Eſtotilandiam, Norimbegam in Mexicanas terras uſque ad Iſthmum. Sic tamen ut per temporum ſpatia alii ex Suedia, Daniaque cultores advenerint novi, magnum ad ſobolem incrementum. Iucatanenſes ipſi

Abyſſinorum ex Africa piſcatorum propago. Ex India Orientali per Gilolum, Iavam & Antarcticum orbem, ſuperato Magellani freto, auſtralem Americam cultoribus impletam. Niſi quod Peruanos Sinenſibus adſcribit, quorum partem in illas terras & oppoſitum continentem aut quærendi curioſitas, aut magnus humani generis propagator caſus, pertulerit. Ita ut ſecundum ipſum, omnes Americani à quatuor gentibus originem trahant, Norvvagis, Abiſſinis, Indis Orientalibus & Sinenſibus. Sed utcunque ſententia ejus alicubi bona eſſe poſſit, quam infirmis tamen & plerumque alienis ac falſis argumentis cauſam hanc egerit, in doctiſſimis notis ſuis *Latius* oſtendit. Qui cum nihil in Grotiana diſſertatione reperiſſet, quod vel mediocriter rerum Americanarum gnarum poſſet in aſſenſum trahere, communem opinionem retinuit ac confirmavit: factam gentium in Americam haud diu poſt diluvium migrationem, à ſeptentrione ex Tataria, ab auſtro ex Nova Guinea & illis infra fretum Magellanicum terris, ita tamen ut ad Iſthmum Panamę Origines neceſſario dividendæ non ſint, cum ejus facti ratio dari ſufficiens non poſſit. Noviſſimam in hac controverſia operam vir Nobilis *Robertus* Comtæus Normannus poſuit ſed cujus commentarium mors fato propera integrum nobis invidit.

Nam

Nam ipsi argumenta Grotii & Latii perpendere animus erat. Extant tamen aliquot pagellæ quarum haud pœnitet. Sententia ejus est : Americanos omnes à Phœnicibus, sive Tyrii illi sive Carthaginenses, ortos, & unam hanc gentem vastum illum orbem & habitasse & detexisse. Ita ut ex aliis Provinciis nulli ante Hispanos præter Phœnices eò venerint. Quod falsum esse apertissimis rationibus constat. Nam nec soli Phœnices eo venerunt & coloniæ plurium gentium diverso tempore in illas terras deductæ sunt. Quod vero Rodericus à Castro in Medico Politico, defectum literarum pro argumento Carthaginensis Originis habet, leviculum & manifestè falsum est. Nam Carthaginensibus suas fuisse literas quis dubitat vel ignorat?

Hæ, & plures adhuc, discrepantes authorum de Originibus Americanorum sententiæ sunt, ex quibus colligitur quantæ difficultatis sit de hac quæstione certi aliquid statuere vel pronunciare. Quod cum non ignoraret Petrus Cotton Iesuita, A. cIɔ Iɔc iv. inter alia etiam hanc Diabolo in obsessa puella quæstionem proposuit. *Quomodo insulæ animalia acceperint, & eo homines post Adamum pervenerint?* Intelligens nimirum remotas illas novi orbis insulas. Et frustra impium facinus negare audet in Mantissa sua Forerius, cum ipsius

Cottonis manus à Iohanne Gilloto in Senatu Parisiensi consiliario Ecclesiastico asservata ab Henrico IV. lecta, à Thuano tota histori evulgata sit.

Nobis difficilis quidem videtur sed non planè inexplicabilis quæstio. Difficultatis causæ, præter communes, sunt orbis ipse per to secula incognitus ac inaccessus; antiquitati suæ & Originis incerta pariter & incurios gens: nullus literarum usus; vagæ sedes, bell continua, unde captivitates, excidia, permixtio: barbaries in universum magna, linguarum morumque infinita diversitas. Quibus add primorum detectorum negligentiam, qui tantum de auro & Imperio solliciti, integras nationes cæde extinxerunt; si quæ erant antiquitatis monumenta, destruxerunt: plurima pe ignorantiam vel vanitatem, commenti sunt Non minimum quoque industriam nostram i exquirendis his Originibus moratur incognitus nobis etiamnum Asiæ Septentrio: sitn ibi una cum novo orbe continens, an freto ve mari divisa; qui extremarum gentium ritus quæ lingua. Inter tot ardua & tenebras ali quid conari, non erit plane frustraneum, præsertim cum magnorum virorum, qui viam præiverunt, non destituamur exemplis. E quanquam facilius sit refellere quæ falso de hi traduntur, quam quid verum sit statuere; no

tamen

tamen videri temerarius & opiniator debet, qui veram Americanorum Originem se ostensurum sperat, quemadmodum nimis præcipitanter & temerè Acosta judicat.

CAP. III.

An ante diluvium habitata America? Quomodo in eam primum ventum? Aves transvolarunt. Feræ per glaciem vel natatu. Cicura illata. Cur non equi, boves, vaccæ? Homines Americani mixtæ & variæ Originis. An una fœmina sufficerit condendis Americanis?

INitio sciendum quæri de Origine gentium Americanarum post diluvium. Fuerintne jam ante diluvium homines in America, quod Opmeerius in Chronologia, ex Atlantidis apud Platonem historia, aliique volunt, procul à cura & instituto nostro est. Nec credibile jam ante diluvium tanto numero succrevisse homines ut omnes orbis partes impleverint, quanquam Lescarbotus magna fiducia Noachum in America natum, eamque post diluvium recepisse potius quam accepisse habitatores, velit. De hominibus & animalibus post diluvium quæritur; quis populus in Americam venerit? unde egressus? qua ingressus? quibus auspiciis? quo tempore? Ad quam quæstionem compendio respondemus. *Post diluvium, ex nostro orbe terrà, mari, casu, consilio, diversis temporibus & animalia & homines in Americam venisse.* Nam aves volatu maria

transmiserunt, quas in longè dissita loca volare Plinius notavit, & familiari ciconiarum exemplo patet, quæ quotannis in Ægyptum aliasque regiones calidas avolant. Ita anates quæ innumerę ad oram nostram conspiciuntur, deprehensæ à Batavis in Nova Zemla ova ponere & excludere, quod hactenus ignoratum, fabulis quoque ansam præbuit. Navigantibus in Oceano ad IↃCCCC milliaria à continente aves conspectas, quæ non intermisso volatu classem insequerentur, Linschotius testatur. Nam fessæ vel sub aquis, vel in cautibus, ad quas natura feruntur, quiescunt.

Vt Acosta non debuerit pro impossibili habere aves maria transvolare. Difficile id esse ultro fatemur: Sed ea tamen difficultas, ut aliæ in rebus humanis, superari necessitate potest. Vnde Latius recte: *De avibus* inquit, *non est quod solliciti simus.*

Terrestres feræ ex una in aliam continentem vel exiguis fretis natatu superatis vel per glaciem venerunt. Quod Acosta ingeniosè deprehendit. Quia cum continens Americæ leonibus, ursis, tigribus, cervis & aliis quadrupedibus abundet: nulla ejus generis deprehensa fuerunt in illis insulis quæ longius à continente absunt, quales Hispaniola, Cuba & reliquæ. Ex quo patet alicubi angustum fretum Americam nostro orbe abscindere, quod tranari vel congelari possit. At

At cicura, quæ nec volatu nec natatu multum valent ab ipsis illata hominibus, ad escam vel voluptatem, consequitur, quod de Gallinis Acosta probat; quam domesticam avem alio proficiscentes Indi secum ferunt. Et Sinenses magnam ejusmodi avium copiam in navibus suis alere notum est. Quod autem nulli boves, vaccæ, equi, in America reperti quibusdam argumento est, nullam orbis nostri gentem, apud quas ea animalia præcipuum usum habent, in Americam destinato habitandi consilio, sed vel tempestatibus vel bello, vel alio nobis incognito casu, ejectos, venisse. Quod si aliquando ea animalia navibus ad sobolem imposuerunt, fame, ut in longa navigatione, & inculto solo, ad cibum iis usos, necesse est. Aliæ tamen causæ infra reddentur.

Ipsos quod attinet homines: verum est Americæ propriam ac sinceram & tantum sui similem gentem non extitisse: aliarum gentium adventibus & hospitiis permixtos habitus corporum & diversi mores & linguarum innumera genera satis ostendunt. Plurimi igitur, viri pariter ac fœminæ, in Americam venerunt. Nam quod Lescarbotus obtendit; *Unam fœminam sufficere ad mundum implendum, quemadmodum videmus ab una prima matre totum genus humanum fluxisse*, id in hac quæstione locum non habet, & alia ratio Evæ fuit. Du-

cenda enim origo Americanorum non ab uno hominum pari, vel paucis quibuſdam hominibus, verum à magno immigrantium per varias partes, numero. Et quanquam plurimas gentes in Americam veniſſe ſtatuamus, non tamen omnes ſine diſcrimine admittuntur. Diligenter etiam diſtinguendi ſunt qui forte venerunt vel ſaltem in Americam venire potuerunt, ſed nullo evidenti ac ne probabili quidem argumento veniſſe deprehenduntur; ab illis quos certò veniſſe conſtat. Ad prius genus multæ nationes referuntur in Europa & Aſia & Africa. Ad poſterius Phœnices, Scythæ & illæ nationes quas in ſequentibus libris ordine referemus.

CAP. IV.

Quæ gentes in Americam non venerint. Non Æthiopes: *quia atri & criſpi.* Non Celtæ, Norwagi, Suedi, Angli: *quia rufi, curioſi nominum, barbati. In America quatuor tantum nationes barbatæ. Capillamenti diverſitas inter Americanos & Celtas. Et linguæ. Pauca Celtica vocabula apud Americanos.* Loki. Acale. Guaray. Aihtaha. *Veteres Britanni navium rudes.* Non Indi: *ob* μετεμψύχωσιν *& alias Brachmanum opiniones: ob viarum difficultatem.* Non Græci, Latini, Tuſci: *ob Carthaginenſes. Aliquot voces Latinis ſimiles in America.* Non Judæi: *ob circumciſionem, quæ latè per Africam recepta. Braſiliani an à Iudæis?* Non Muhammedani: *quia recentiores.* Non Chriſtiani: *imprimis Abiſſini. Circumciſio, cruces, baptiſmus, an in*

Ameri-

America? Religionum confusio. Insula Borondon fabulosa.

PRimo omnium removendæ ſunt gentes illæ à quibus certum eſt nullam Americanam nationem ortam, & quas certum eſt vel omnino non, vel non tanto numero in Americam veniſſe ut aliquam gentem condiderint. Quales in Africa Æthiopes; in Europa Celtæ, Græci, Latini ſive Romani; in Aſia Indi, in univerſum Iudæi & Chriſtiani & Muhammedani ſunt. Æthiopum eſt colore noctis tinctum eſſe. Quod illis maximè convenit qui interiora Africæ Abaſenam & Congonem incolunt. Ab his nulla gens Americæ Originem trahit; quia nulla colore nigro ut Æthiopes. Obſtat tamen Grotius ut Abiſſenos ſuos in Iucatanam deducat: *Neque me lædit quod Iucatanenſes non ſint nigro colore ut Æthiopes. Solent enim corpora vi novi cœli degenerare à ſua origine, ita ut Portugallorum in India Aſiatica Soboles tertia, Indis eorum locorum ſimilis fiat, quod Linſcotio notatum.* Ad quæ Latius: *Candor ab æſtu facile infuſcatur nigror non ita à frigidiori cœlo aufertur. Æthiopes etiamſi migrent in aliud cœlum, colorem non mutare notum eſt.* Sane quia in frigidiſſimis Lunæ montibus & ad bonæ ſpei promontorium, ubi polus XXXIV gradus elevatur nigerrimi Æthiopes; & alibi in Melinda,

Mombaza, S. Thomæ insula, ubi calor intensissimus, albi vel fusci sunt, nihil vel parum ad creandos Æthiopes Sol, cœlum, regio facient. Adde repertos in Quarequa sive Careta, quæ exigua juxta fluvium S. Marthæ provincia, nonnullos Æthiopes qui nigrore cum Genensibus & Cafaris certabant, & ex Genea vel Æthiopia ejecti in Americam creduntur, in quos novum cœlum Americæ nihil valuit. Hinc causa semini potius & totius corporis dispositioni adscribenda; unde eos parentibus etiam in utero similes fieri Strabo lib. xv. observat. Adde ab Hispanis, & Portugallis, Batavis, multa Æthiopum millia in Americam advecta; idem illis color, & manent, quod fuerunt, Æthiopes. Deinde Æthiopes crispi, lanati non capillati, qui Pariam habitant capillis oblongis & protentis, quod discrimen Martyr Anglerius notavit; & ad Pariensium morem cæteri. Congenses crispi, nigro vel rufo capillitio, pupillis in nigrum & cœruleum diversi coloribus. At in America nec crispi nec rufi teste Gomara.

Vnde consequitur nullos Americanos à Celtis præsertim Norvvegis, Danis, Suedis, exortos esse. Qui plerumque capillis rutilantibus & flavis, ut de Gallis, Germanis, Britannis, Vandalis aliisque Europæis certatim authores antiqui notant ac hodieque obvium est. Nec

Nec ſibi quis facile perſuadebit delatos in Americam à cœlo tantam in capillis mutationem pati, & quidem omnes nullo excepto; cum ex Europa in eam delati Batavi, Dani, Norvvagi, Suedi, Angli, ſi rufi & flavi venerint, tales etiam maneant. Sic hodieque in Fayal, quæ una Azorum, Flandri capillis & moribus eam gentem referentes, reperiuntur, licet pluſquam ſesquiſeculo ibi habitarint. Hurones, qui ejuſdem fere cum his climatis, omnes capillo nigro, nullus ibi rufus; ac ne flavos quidem invenit Sagardus, pauciſſimis exceptis qui ſpadiceos habebant. Et dubium non eſt quin deceptus fuerit P. Martyr dum Parienſibus & Duharhanis flavos tribuit, cum id præterea, rebus melius exploratis, nemo tradiderit, ſed uno omnes ore capillos nigros Americanis adſcribant. Quod vero Cluverius in Germania antiqua obſervat, gentes quæ magis in Septentrionem vergant, nigriori capillitio eſſe: id in Lapponibus, Samojedis, Hunnis & aliis ad Oceanum glacialem verum deprehenditur. Sed illæ gentes haudquaquam ex Celtis vel Germanis originem trahunt, ut ita cœlum & ſoli mutatio capillos ex flavo in nigrum mutarit; Sed à prima & Scythica origine id jam olim habent. Sic plurimi in Septentrionali America populi nulla nomina propria, nec gentilitia nec perſonalia

habent,

habent, quod Rogerius VVilhelmus de illis in ſpecie notat qui Novam Angliam tenent. At Celtæ omnes curioſi nominum, neque vilia ſectabantur ſed quæ virtutis & majorum admonerent. Ita vel nulli vel admodum rari in Americam Celtæ venerunt, nec tam vaſtus orbis qui ſe ad Iſthmum Panamenſem extendit, utcunque Iucatanam excipias, à Celtis inundatus. Quo & hoc accedit, quod omnes Americani imberbes, quatuor tantum exceptis nationibus. Nam Miges in Zapoteca, Scheries in Rio de la Plata, inter Braſilios Malopaques barbas alunt. In Nova Mexico Franciſcus Vaſquez de Coronado, non niſi unicum ſenem barbatum reperit. At Celtæ præſertim Septentrionales, Pogonati. Quod de Longobardis, maxima gente, adeo verum ut exinde nomen tulerint ſi Diacono authori non ſpernendo, credimus. Sicut in Aſia propter eandem cauſam Μακροπώγωνες Straboni. Vnde, ſi ulla gens, certe Norvvagi & Longobardi America excludendi ſunt, nec ab illis Alabardi imberbes aut ab his omnes Mexicani uſque ad Iſthmum, Iucatanis tantum exceptis. Ritus capillamenti & barbæ tantum apud cultas & paulatim laſcivientes populos variavit. Quemadmodum Romæ ante Minorem Africanum nemo: poſt eum juvenes tantum: ultimis Reipubl. temporibus omnes, quibuſ-

quibusdam adolescentibus exceptis, radebant. Quæ varietas de priscis Norvvagis & Longobardis ostendi non potest. Quo accedit, quod inter Germanos alii ut Suevi & Sicambri Crobylos gerebant à fronte in verticem, crinibus in nodum tortis & in conum desinentibus; alii capillos retrocomebant; cujus generis capillamenta in tota America non reperiuntur. Nam Floridanorum nodo substrictum capillamentum crobylus non est: quippe non tortum, non nodo substrictum, sed extra eum, ut apud Phœnices, cirris dependentibus sparsum. Fateor vocabula quædam ad Germanicam Originem referri posse; Sed ea pauca sunt, imo nulla fere ut Latius vult. Vnam ille vocem verè Saxonicam apud Hurones observavit, qui hariolos suos & Medicos *Loki* appellant, quales Anglo Saxonibus *Lakes.* Cui Mexicanam ab omnibus prætermissam addo, *Acale* iis naviculam notat, quæ Saxonibus *Kuyla.* Sicut Britanni scribunt, eos cum tribus Cuylis in Britanniam cum Hengisto venisse. *Guaray* vel *Varay* bellicosum significat, unde gens illa supra Brasiliam, cujus lingua per omnem Americam latissima, nomen sibi imposuit, *Guerra* Celtarum esse videtur. Aliqua apud Virginianos occurrunt ut *Ibider* dens, *VVado* Pater, *Edagawanck* gladius: *Codd* pes. Huronibus *Aihtaha* pater. Sed quis ex tam paucis voca-

vocabulis argumentum pro Origine ducat? Præſertim cum receptiſſimorum inter Celtas nullum appareat veſtigium. Qualia ſunt *Bria* vel *Briga*, urbs, *Dunum* collis, in quæ pleraque per Hiſpaniam, Galliam, Germaniam, Britanniam, urbium & pagorum nomina deſinunt. Duo tantum in Popayanæ Provincia de los Paſtos occurrunt, *Mocondinum* & *Bexendinum* pagi, in quibus Celtici *Dun* aliqua umbra, ſed quis tam levi conjecturæ inſiſtat? Tum rudis navigandi uſque ad Iulii Cæſaris tempora major Celticæ pars. Britannos is tradit navium ſuarum figura & remorum motu perterritos. Et P. Ramus de Cæſaris militia: *Valde miratus ſum* inquit, *tota hac Cæſaris hiſtoria nullam Britanniæ navem nominari, nec ullum per Britanniam cum Romanis navale prælium committi.*

In tota America nulli reperti qui animarum tranſmigrationem ſtatuerent, nec in auſtrali ejus parte qui mortuos cremarent. Nam quod Martyr dicit *à Cumanis combuſta cadavera*, id alibi explicat intelligendum de annuis exequiis. *Nam cadavera domi ſepeliebant. Exacto anno effodiebant oſſa & comburebant capite tantum domi ſervato.* Hæc ille de Chiribichenſibus una cum Cumanis gente. Nulli itaque à Celtis & Indis Aſiaticis, apud quos hæc duo propriam quaſi ſedem ab omni hominum memoria habuerunt. Quod Tataros ſpectat, illi

eam

eam μετεμψύχωσιν ſero admodum ac poſt A. cIↄ cc acceperunt ab Indis, nec omnes ſed Mogolici tantum in ipſa India habitantes. Quod ſi per antarcticam Indi in Americam delati, procul dubio Pythagoræas & Brachmanum opiniones ſimul intuliſſent, de abſtinentia ab animatis, animarum migratione, quemadmodum in Iava & alibi factum. Præterea totus orbis antarcticus, qui ingens, peragrandus vel implendus, antequam in Americam regurgitarent. Quod de gente ſuis pertinaciter affixa ſedibus dici non poteſt, cum Diodorus Siculus notet, *Indos nullam coloniam in exteras terras duxiſſe, neque unquam à naturali ſolo receßiſſe.* Primo innumerabiles inſulæ implendæ, ex Iava, Ceiran, aliis, in Antarcticam, inde NovamGuineam veniendum: nec ante in Americam acceſſus, quā circuito ab occidente & oriente toto orbe. Quantum vero populorum ab Indis ortum eſſet? Nam auſtralis America ferè Africam æquat. Antarctica & Aſiam & Europam ſuperat, ſi culta ferè uſque ad polum, ut Vartomanus vult, dubitante tamen Acoſta. Et hæ ſunt gentes ὑπερνοτίαι, pro quibus contra Eratoſthenem Strabo diſputat. Tum in nova Guinea Æthiopes innumeros eſſe teſtantur qui luſtrarunt, ac recentiſſimi Iacobus le Maire & Petrus Ferdinandus de Quir confirmant. Vnde non ex Nova Guinea

nea orti Americani. Æthiopes in Magellanica quoque. Cur nulli in America ſi inde origo. Quirius: *Incolarum alii albi, alii fuſci. Alii habent crines longos & nigros, alii criſpos alii admodum flavos & candidos.* Nec tamen negarim multa in moribus concordare, ut quod plumæ in ornatu, nares cum auribus perforati. Sed & multa diverſa ſunt: ut quòd barbas & capillos, magnificentiæ ergo, calce dealbant: ſcaphas multum ab Americanis diſcrepantes habent, quibus quocunque vento ſpirante navigant.

Græcis & Latinis ac Tuſcis florens Carthaginenſium potentia fretum Gaditanum interclusit ne in Atlantico navigarent. Strabo XVII. Hinc nullæ Græcorum in Mauritania, nedum extra Gades, coloniæ. Nulla etiam eorum in America ſuperſunt indicia. Niſi quis *Vmbram* Popayanæ regionem ad Vmbros Italos referre velit. Linguæ Latinæ ſimilia pauciſſima. Vt quod Veraguani hominem *Ome* vocant. Braſilianis *anga* eſt anima, *ara* aer, *potia* pectus, *pi* pes, *Aya* avia. Apud Iaos humerus *Hoomotaly*, mammæ *mannaty*, genua *gœnali*, tonitru *tonimeron*. In Peruvia *puccla* pugilatus; Virginia, *paune* panis. Sic & in Congenſium lingua voces Germanicas & Latinas habemus: *Va* ipſis eſt van: *tuat* quaed, *munna* mond *Van qui* van wie/ *e* eſt, *luminucu* lumen, *Zulu* cœlum. Quæ Latius ex ore Congenſium Legatorum habuit.

De

De Iudæis, Chriſtianis, Muhammedanis nunc videndum, an ulla Americæ gens earum Religionum clara indicia oſtendat. Id in univerſum verum eſt, Diabolum multa ad ſimilitudinem cultus Iudaici ac Chriſtiani inter eos inſtituiſſe, quod Acoſta per partes & prolixè demonſtrat; Sed ex quibus origo concludi nequit. Pro Iudæis imprimis facere videtur circumciſio quam Americanis nonnullis receptam fuiſſe ſunt qui affirment. Notum enim eſt ejus ritus tenaciſſimos præ cæteris Iudæos fuiſſe ac qui ab illis orti. Quales Idumæi, Arabes, Syri, Phœnices, Colchi, Ægyptii, Æthiopes. Phœnices tardius eam recepêre, quod exemplo Pœnorum in Africa patet, quibus nunquam in more. Nec omnes Phœnices vel Ægyptii, ſed pauci, & ut Horapollo in Hieroglyphicis tradit, ſacerdotes tantum circumcidebantur. Phœnices commercio Græcorum omiſerant teſte Herodoto. Æthiopes ab Ægyptiis acceptam latiſſimè propagarunt, adeo ut hodie omnes Torridæ Zonæ ſubjecti circumcidant; ut non à ſola inſula Caracomba exemplum petere Grotius debuerit. Quoniam vero circumciſionis nullus per Americam uſus, hinc Iudæos inde excluſit Acoſta. Nec ullius ponderis quæ pro decem tribuum in Tataros, inde Americanos, mutatione, multi ſplendidè nugantur. Nam

neque Tatari ante Muhammedismum circumciderunt, id est quatuor ferè secula. Etiam illa quæ Emmanuel Moraes affert levicula sunt. Inquit : *Brasilienses Iudaicos mores excepta circumcisione induerunt.* At hoc præcipuum Iudaismi signum. Cuncta prius mutent Iudæi quam circumcisionem. *Vtrique ex certa tribu uxores ducunt, patres matresque vocant quosvis consanguineos, lacrymas maximi faciunt, talaribus vestibus delectantur.* Quid his ineptius pro Origine Iudaica? Et quot gentes à Iudæis ortæ si hæc Originis signa? At antiquissima apud Brasilianos traditione jactari dicit *majores suos divinitus è mari servatos.* Quod ille de mari rubro accipit, rejecta illorum opinione qui universale diluvium intelligi volunt. Notum est multas ejusmodi traditiones in America repertas, quæ tamen particularem potius vel etiam generalem inundationem, id est Noachicum diluvium, respicere videntur, quam transitum Iudæorum per mare rubrum. Et mirum omnino illius tantum miraculi memoriam servasse Brasilianos amissa quæ tenacius hærebat, circumcisione & tot aliis ritibus. Eodem conatu Muhammedani excluduntur: tum quod recentiores sunt quam ut eorum superstitio tam cito evanescere potuerit. De Christianis haud leviter dubitatur, quos in Americam venisse acriter multi contendunt,

imprimis

imprimis Hugo Grotius. Is ut Abyssinos Africæ Iucatanensium conditores faciat, circumcisionem & baptismum profert quo utrique usi. Addunt alii cruces passim repertas. De omnibus ordine. Primi Americæ detectores ac scriptores tradiderunt Iucatanensium haud paucos fuisse recutitos. Martyr Anglerius: *Sunt, sed non omnes, recutiti.* Gomara: *Circumcidunt, sed non omnes.* Idem de Guazacualcensibus Herrera tradit. Falsos autem Martyrem & Gomaram in Iucatanensibus, ex Acosta & Herrera patet, qui cum ritus omnes accurate describant, nullibi tamen hujus circumcisionis vel verbo meminerunt. Vnde Latius Hispanos deceptos suspicatur, & arrosum lue venerea, quæ ibi frequens, præputium, pro circumcisione acceptum putat, non absque falso risu Grotii, *quasi* inquit *ita Iudaica esset illa lues, ut præputium perdere contenta cæteris partibus parceret.* Quod si certa circumcisionis inter Americanos indicia reperiantur, non dubitem id Iudaicæ origini adscribere. Sed causa nulla est cur tam longe remotos Abissinos, qui etiam ex veteri Iudaismo circumciduntur, in Iucatanam transferamus. Non minus incerta res de crucibus est, quas repertas aliqui tradunt, alii etiam negant, interque eos Oviedo est. Martyr de Iucatanis: *Cruces viderunt. Vnde id habeant interrogati per interpretes dicunt*

aliqui : transiisse virum quendam formosissimum per eos tractus qui eis id insigne in sui memoriam reliquerit. *Alii* obiisse lucidiorem sole hominem in eo opificio. *Certi nihil habetur.* Vbi notandum Martyrem non dicere eos cruces habuisse sed tantum vidisse. Gomara: *Invenerunt cruces ex* orichalco *& ligno supra sepulchra.* Quæ Herrera ex eo falsi arguit quia nullum orichalcum in Iucatan vel America repertum. Nihil tamen obstat quo minus ex lapide vel ligno cruces habuerint, & reddit alicubi Herrera rationem unde cruces primum in has terras venerint. Inca Garcilasso testatur: *Cuzcone magnam ex marmore crucem fuisse sed sine usu religioso.* Maximi ponderis id esse videtur quod à Iucatanensium è Cempoalorum baptismo deducunt argumentum. De Cempoalanis Martyr: *Pueros jam anniculos puellasque cum piis Ceremoniis sacerdotes in templis aqua in Crucem cum urceolo capiti superinjecta baptizare videntur : verba non percipiuntur : actus & murmura licet animadvertere.* Addit Grotius: *Baptismo datum nomen regenerationis ; administratus infantibus anno ætatis tertio. Parentes ad id se pararunt jejunio & secubatione.* Accedunt *confitendi mos, unctio in fronte, honesta sepultura, fides de judicio universali.* Herrera dicit Baptismum non alibi in Nova Hispania, quam apud Iucatanos repertum. Ceremoniam quandam baptis-

baptiſmo Chriſtianorum non abſimilem agnoſcimus: Sed à Chriſtianis hæc accepiſſe Iucatanos quis credat? Vt linguarum inter ſe ita & Religionum, præſertim in Ceremoniis, multa communia ſunt. Et horrenda Idololatria, humana ſacrificia, ſatis oſtendunt haud quaquam à Chriſtianis oriundos. Neq; enim intra aliquot ſecula adeo deſciſcere potuerunt. Collapſum ſæpe Chriſtianiſmum in India, Sinis, & Dioſcoride Rubri maris inſula, ubi præter baptiſmum & crucis ſignum nihil reliquum manſit, nemo ignorat. Cæterum homiedones, Idololatras, Dæmonum cultores factos, non legimus. Ac ne quidem medio inter noſtrum orbem & Americam ſpatio ulli Chriſtiani in Atlantici maris inſula conſedêre. Nam quod de Chriſtianis inſulæ Borondon ſcribunt Hiſpani, mera fabula eſt. Multi eam caſu nulli ſtudio inveniſſe dicuntur, fruſtra quæri vel nebulis tectam vel æſtu abreptam. Incertum cujus illi Chriſtiani linguæ vel originis. Et rectè quidem, inſulam, quæ nuſpiam eſt, Cimmeriis nebulis tegunt. Ita Æthiopes, Celtas, Norvvegos, Indos, Græcos, Latinos, Iudæos, Chriſtianos, Muhammedanos, America excluſimus: ut fruſtra in his gentibus Originem quærant incolarum novi orbis quotquot huic ſtudio incumbunt.

CAP. V.

Origines non ſunt dividendæ ad Iſthmum: ob facilem tranſitum. Cur in meridionali America lecti penſiles? Eadem in boreali & auſtrali America locorum & gentium nomina. Lingua Varaicana latiſſima. Sitne facta migratio ex meridie an Septentrione. quod verius. Primo borealis America culta. Variæ migrationis gentium cauſæ. Summa operis. Phœnices, Scythæ, Sinenſes in Americam venerunt.

NEc ad Panamæ Iſthmum Origines dividendæ ita ut per ejus clauſtra tranſitus non detur populis in alterutram Americam. Quid impedit totas gentes per Iſthmum nullis montibus vel inviis clauſtris obſtructum, & cujus latitudo quinquaginta paſſuum millia conficit, ultro citroque, ut Hiſpani facere ſolent, migrare, occupare & permutare ſedes promiſcuas adhuc & nulla regnorum potentia diviſas? Anguſtior Corinthiacus: nec tamen Græci Peloponneſo excluſi quam Leleges & Pelaſgi tenebant, nec Turcis Hexamilium obſtitit. Corinthiaco Tauricus anguſtior, & tamen Tauri, deinde Tatari in Cherſoneſum penetrarunt. Panamenſi fermè par Ægyptius, cum tamen Chananæi, Perſæ, Iſraëlitæ, Arabes, Turcæ, in Ægyptum migrarint. Non anguſtiæ montium, non arenæ & invia, tranſitus populorum inhibere poſſunt. Nec Pyrenæi

Germa-

Germanos Hiſpania, Alpes Italia Annibalem excluſerunt. Aſperrimos Andes Hiſpani & Indi quoque multoties ſuperarunt. Nec illud probat diverſæ & oppoſitæ cis & uls Iſthmum originis eſſe populos: quia meridionales lectos penſiles habent, quos boreales ignorant. Cauſa in Soli diverſitate, non origine eſt. Nam meridionalis America æſtu laborat, & feris, ſerpentibus aquis infeſta eſt, ipſumque ſolum peſtilentiam quandam cubantibus inſpirat. Vnde & penſiles lecti & in ipſis arboribus habitacula.

Igitur per Iſthmum continuis terris migratio facta eſt. Quod præter linguam & inſtituta oſtendunt eadem locorum nomina, quæ magno numero in utraque parte inveniuntur. Ea cum à populis imponantur, neceſſe eſt ubi eadem occurrunt, ibi eaſdem quoque eſſe vel fuiſſe gentes. In Cibola eſt *Cicuic* & *Concha*: in Popaian *Cegue*: in S. Martha *Socigua*; in Culvacan *Ciguatlan*, in Peru, *Cigua*, *Conchuca*, Chinca *Cochabamba*, in Zempoala *Sincuchimala*. In Chili *Chicuito*. Mexicana ſunt *Cuxco*, *Areco* *Atotobilco*, *Xiquibilco*, *A'capulco*, *Tepeapulco*, *Tumba*: Mechoacana, *Cuzco*, Guahutemallæ *Cuzcatlan* ſive *Cuzcatan*, Peruanæ *Cuzco*, *Guarco*, *Arica*, *Arequipa*, *Guancabilco*, *Tumbez*. In Nova Anglia *Aucocuzco*. In Chili *Arauco*. In Xalizco *Cazcanes*. In Mexicana *Chulula*, *Ginochula*.

In Colime *Cile*, *Chola.* In Panuco *Chila.* In Chichimecis *Guachichile*, *Arma* Bogotæ, *Guarma* Peruviæ. Guahutimalla *Chulutecam*, Peru *Cilen*, *Guadachilen*, habet. Sequitur vallis *Chile.* In Plata *Chiloaca. Chica* & *Colles* noti. In Florida *Chicora*, *Chicoza*, *Chicacolla.* In Mexico *Achachica* & *Colima.* In S. Martha *Guachachico.* In Chiapa *Chicomucelo.* In Tepeaca *Alchichican.* In Guaxaca *Guecolla.* In Peru *Piscobamba*, *Guallabamba*, *Tomebamba*, *Guamen*, *Guamanga*, *Guamachuco*, *Camana*, *Cimo*, *Pachacama*, *Pucara.* In Popajan *Bamba*, *Guanca*, *Guambia*, *Cima*, *Paucara*, *Picara.* In S. Martha *Cimila.* In Iſthmo *Comagre*, *Came.* In Iucatan *Comi* & ad eam *Guanaxa* & *Guanagua* inſulæ. In Mexico *Guamara*, *Comania*, *Guanaxaba*, *Guaxaca* & in ea *Cimatlan.* In Xaliſco & Braſilia *Guamares.* Tlascalæ vicus *Ocotovilco* Mechoacanæ *Guanæo*, *Guanaxucaro*, Pariæ *Cumana.* In nova Mexico *Cunama*, *Acama*, *Ameies*, *Zuny.* In Carthagena *Zenu*, *Mopox Guaca.* In Popajan *Cenuſara.* In Peru *Zanu*, *Moios*, *Motox* ſive *Motupe*, *Guaca*, *Quaqui.* In Florida *Guacane*, *Guachacoia.* In Popaian *Biru*, *Buritica.* In Peru *Piura.* In S. Martha fluvius *Pira* & *Buritica.* In Ceribaroa & Chili *Puren. Xaguaguara* Veraguæ. *Xaguaxagua* Peruviæ. *Saturmani* Cartagenæ. *Tirimenes* Terræ del Fuego. *Maia* Veraguæ & Iucatanæ. Inſula *Borriquen.* In Nica-

ragua *Barica.* In Iſthmo *Burica.* In eo & Aiti *Zavana.* Cartagenæ montes *Abipe.* In Nova Granada *Abipi.* In Nova Mexico *Toboſo.* In Iucatan *Tabaſco.* In Panuco *Caxa.* In Peru *Caxamalca.* In Nova Andaluſia & Panama & Peru *Paria.* In Chili *Pariza.* *Iaquimi* fluvius & in Xaliſco & in Aiti. *Tula* & *Colima* Floridæ ſimul & Mexicæ. *Zacatula* Mechoacanæ, *Colima* novæ Granadæ & Peruviæ *Malinalca* Mexicæ. *Mala* Peruviæ. *Nuſco* Zacatulæ, *Naſca* Peruviæ, *Soconuſco* Guahutimallæ. *Hitba* Chicoræ, *Quitagua* Mexicæ, *Chitaza* Ceribaroæ. *Marequito* novæ Granadæ. *Quito* Peruviæ. *Quira* novæ Mexicæ. *Quiriqueta* Terræ Firmæ. *Chira* Nicaraguæ, Panamæ, Peruviæ. *Chirara* Ceribaroæ. In Iucatan *Quimbeche*, in Peru *Guambacho, Parmonga, Guamanga, Manchai.* In S. Martha *Mongai.* *Aplace* in Florida, *Palace* in nova Granada. Ibidem & in Aiti *Neiba* Provinciæ nomen. In Septentrione *Zagnati, Paſſagati.* In meridie *Chiugoti, Diaguta, Chiguita, Caſsiapagota.* Articulus Gua in nominibus locorum & perſonarum omnem Americam tam in continente quam inſulis, in Septentrione & ad meridiem. *Mat Inga* Guahutimallæ, *Mateczunga* Chicoræ, *Inga* Peruviæ Heroes. Mores in univerſum ferè iidem. Apud Souriquoſios, Aitanos, Peruanos tranſmutatio hominum in novas formas. Braſiliani tribus literis L F R

 carent,

carent. Sunt & in nova Anglia qui L & R non habent. Lingua Varaicana omnium per Americam latiſſima, ex qua articulus Gua, cis & uls Iſthmum. Nam eam in Iucatan quoque intelligunt, teſte Acoſta de converſione Indorum. Mores in univerſum fere iidem. Quæ omnia indicio ſunt per Iſthmum Panamenſem Origines haud quaquam diviſas, ſed ultro citroque migratum fuiſſe.

De eo quæritur: *Sitne facta migratio ex Septentrione in meridiem an contra?* Eſt enim alterutrum concedendum, cum nec Iſthmus obſtet, & ex locorum nominibus pateat, unius originis homines cis & ultra eum habitare. Nec diu in re clara hærendum eſt, cum eadem utrimque nomina ſint, & ex Septentrione ad Iſthmum uſque progreſſos homines concedatur. Quo poſito tranſgreſſos quoque Iſthmum neceſſe eſt. Alias, unde tanta in locorum nominibus convenientia, ſi gentes oppoſitæ ex Arctica & Antarctica profectæ ad Iſthmum hæſerunt toto orbe diviſæ? Igitur illas gentes quæ in Terra del Fuego habitant, eò per anguſtum fretum ex Chica tranſiiſſe indubium eſt. Nec quia ultra fretum exiguæ ſunt ſtaturæ, cis illud proceræ, ideo diverſam Originem habent. Nam & Senegani uno tantum fluvio diviſi, ſtatura vehementer differunt, teſte Ludovico Cadamuſto, quos diverſæ origi-
nis

nis nemo dixerit Sic in Virginia magnos Sasquesahanokas & pumiliones VVigcocomoecos habemus, ejusdem & linguæ & originis. Ac factam ex Septentrione in austrum migrationem etiam hac ratione probatur. Quia per totam Americam crebra mentio fit migrationis ex Septentrione in meridiem non contra. Nam Canadenses, Virginiani, Floridani, Lucaiones, dicunt: *animas suas proficisci in Septentrionem ad gelidam arcton & concreta nivibus loca.* Peruani quoque suum *Con* dicunt ex Septentrione in austrum processisse.

Igitur primo Septentrionalis America culta fuit. Inde in meridiem gentes migrarunt, & sua sponte & numero auctæ & à succedentibus pulsæ. Ita per invia, per incognita versavit se humana levitas. Alii longo errore jactati, non judicio elegerunt locum sed lassitudine proximum occuparunt. Alii armis sibi jus in alienam terram fecerunt. Nec omnibus eadem causa relinquendi quærendiq; patriam fuit. Alios excidia urbium suarum hostilibus elapsos armis spoliatosque suis in aliena expulerunt. Alios domestica seditio submovit. Alios nimia superfluentis populi frequentia ad exonerandas urbes emisit. In Septentrionalem Americam triplici via perventum à totidem populis. Ex occidente Phœnices; Ex Septentrionibus Scythæ; Ex Oriente Sinenses.

ſes. Acceſſerunt per intervalla & aliæ gentes. Hæc ſumma operis noſtri. Nunc quibus id quod diximus oſtendi poſſit argumentis, videndum eſt.

CAP. VI.

Argumenta pro gentium origine unde petantur. Taciti & Dionyſii Halicarnaſſei locus. Non ſunt divellenda, vel fingenda. Locorum ſitus & vetuſtas multa variant.

ANtiqui in eruenda gentium origine ut plurimum Linguam, mores, Sacra, corporum lineamenta, eadem locorum nomina, reſpiciunt. Sic Tacitus partem Britanniæ occupatam à Gallis, & Sacrorum & ſuperſtitionum perſuaſione, ſermone haud multum diverſo i.e. quod in depoſcendis periculis eadem audacia, & ubi advenere, in detrectandis eadem formido, probat. Sic Dionyſius Halicarnaſſeus ut oſtendat Tyrrhenos non eſſe Lydorum coloniam : *Nec enim communis* inquit, *illis lingua eſt; nec eadem quæ Lydi, colunt numina, nec ſimilibus utuntur legibus aut ſtudiis.* Idem diverſam Tyrrhenorum & Pelaſgorum Originem inde probat, quod tanta linguæ inter eos diverſitas, & nulla ſimilitudinis veſtigia. Innumera hujus generis exempla apud Strabonem, Plinium, Senecam & alios veteres ſcriptores, occurrunt.

Circa

Circa hæc argumenta multiplex error admitti poteſt, dum vel à ſe divelluntur, vel ex paucis tantum indiciis Origo concluditur, vel incerta proferuntur. Quis enim fidem adhibeat dicentibus Iudæos ex Creta profectos? *argumento* inquit Tacitus, *è nomine petito : Inclytum in Creta Idam montem, accolas Idæos, aucto in barbarum cognomento, Iudæos vocitari.* Nec minus abſurdè gentium ſibi ignotarum conditores ex nominis ſimilitudine finxerunt : ut ab Armeno Iaſonis comite Armenios, à Medio ejuſdem filio Medos, à Perſeo Perſas. Omitto alia in quibus inveniendis imprimis ingenioſi fuerunt Græci ac eorum exemplo Annius Viterbienſis Pſeudo Beroſi nomine clarus. Spectandus etiam locorum ſitus. Non enim perinde firma ſunt argumenta in longe diſſitis gentibus atque in illis quæ propius habitant. Quod enim Halicarnaſſeus de Lingua obſervat : *rationem quandam habere ejuſdem gentis homines qui longe à ſe invicem habitant, non amplius retinere eandem ſermonis formam propter finitimorum commercia; eſſe verò abſurdiſſimum eorundem locorum incolas nihil prorſus convenire lingua, ſi ſint ejuſdem generis*; idem de moribus & quidem potiori jure dicendum eſt. Præterea magna vis temporis eſt, & longæva vetuſtas omnia mutare ſolet : vix tamen unquam omnia penitus abolet, ut nullum originis ſuperſit monumen-

numentum. Vnde ſæpe aliqua linguæ, morum, ſacrorum, ſimilitudo ſufficit, quemadmodum etiam Dionyſius ea ratione Arcadum in Italiam adventum aſſerit. *Nec mirarer* inquit, *ſi qua per tot ſecula poſterorum memoriam fugiſſent & intermiſſa eſſent. Sufficiunt tamen vel ea quæ adhuc ſuperſunt, in argumentum priſcorum Arcadiæ rituum.* Et quo magis remotam à conſuetudine & commercio peregrinorum vitam agunt gentes, eo incorruptior ipſorum lingua cum moribus. Quod de Arcadibus & Theſſalis, Strabo notat, qui cum in montibus habitarent, aliorum contagione minus infecti fuerunt. Idem in Helvetiis & Islandis obſervari poteſt.

CAP. VII.

Lingua firmum pro origine argumentum. Sed non ſufficiunt pauca vocabula. Nec ea detorquenda. Vel extera pro indigenis capienda. Gentis unius originis ſæpe diverſiſſimas habent linguas. Interdum ex paucis vocabulis judicandum. Difficile ex lingua pro Americanis originibus, argumentum Incogitantia Grotii. Linguæ variis mutationibus obnoxiæ. Nomina locorum, urbium, montium, fluviorum perſonarum validè probant. Diverſa pronunciandi ratio, apud Finnos, Tataros, Sinenſes, Cuzconenſes.

INitium à Lingua in Originibus faciendum. *Si enim commune genus & cognatio credenda eſt cauſa ſimilitudinis linguarum; contrarium*

erit

erit causa dißimilitudinis. Neque enim utriusque eandem causam putare possumus, teste Halicarnasseo. Sed non sufficiunt pauca aliquot vocabula, quorum in omnibus ferè linguis habemus exempla, ad Originem probandam. Quo admisso quæ non confusiones orientur? Sane à Latinis & Germanis Congenses originem trahent, nec ullum inter Sinenses & Hispanos discrimen erit. Multominus linguæ & vocabula violenter detorquenda, quod Goropius Becanus & Schriekius fecerunt, dum Hebræa, Græca & Latina pariter à Celtico sermone, ineptius quam tantos viros deceret, deducunt. Diligenter etiam cavendum, ne voces ab exteris illatas pro indigenis capiamus. Notum est Europæos multas Americæ linguas suis coloniis adulterasse. Certe apud Mexicanos *puertatitlan*, ex Hispanico *puerta* quod portam notat, corruptum est. Sic Latius suspicatur *Guayra*, vocem Peruanis receptam Hispanicum vocabulum esse: Sæpe gentes unius originis diversissimas linguas habent, quod in Sinensibus & Iaponiis, Mexicanis & Mechoacanis, propter mutua odia, factum legimus. Hujus diversitatis etiam aliæ causæ esse possunt: unde Dionysius sufficere putat ad gentium origines ostendendas, *etiã si non amplius eodem sermone utantur, alia tamen veteris patriæ servent indicia.* Interdum linguæ unde similitudo petenda

da vel incognitæ nobis ſunt vel magnam partem perierunt; & tum ex paucis etiam vocabulis conjectura fieri poteſt, quemadmodum Seneca partem Cantabrorum ex Hiſpania in Corſicam veniſſe colligit *ex calceamentorum & veſtitus ſimili ratione, pauciſque vocabulis quæ communia habebant*: In conſolat. ad Helviam. Et hac ratione ex Lingua difficillimè pro Americanis Originibus argumenta proferri poſſunt. Quia non cognitæ nobis omnes Americanorum, Aſiaticorum & Africanorum, unde originem traxerunt, linguæ, ut ex illarum comparatione certi quid ſtatuamus. Rectè Latius: *Non ſatis eſt* inquit, *paucula vocabula ſive integra, ſive paululum ſecundum varias dialectos detorta reperiri; ſed oportet linguæ & dialecti genium, pronunciandi rationem, conſtructionis modum, imprimis nomina earum rerum quæ domeſtica & maxime communes illi genti ſunt, attendere. Nam alias non difficile eſt in omnibus linguis reperire vocabula convenientia aliquomodo cum aliis linguis. Si literas mutare, ſyllabas tranſponere, addere, demere velis, nunquam non invenies quod ad hanc aut illam ſimilitudinem cogas. Sed hoc pro indicio Originis gentium habere, id verò mihi non probatur.* Accedit & alia difficultas, quod in America innumeræ linguæ reperiuntur inter quas nulla plane convenientia eſt. Vnde miror incogitantiam Hugonis Grotii, ſcribentis:

Linguæ

Lingua autem quod nec plane Norwagica est nec Æthiopica in illo tractu à Septentrione ad Isthmum inde evenisse credo quod permixti fuerint diversæ originis homines. Et postea : *Quod vero neque prope fretum Indorum Asiaticorum, neque in Peruano tractu Sinensium lingua, mansit integra, ejus rei causam fuisse arbitror.* Non enim id requiritur ut linguæ integræ & incorruptæ sint; id quod fieri non potest, sed ut certa præ se ferant originis suæ indicia, qualia Norvvagicę & Æthiopicæ, multominus Indicæ aut Sinensis nulla ipse protulit argumenta. Quanquam vero multis modis vocabula mutationem admittant, prout à diversis gentibus ad suam pronunciationem inflectuntur, id tamen nihil impedit quominus ex ipsa illa varietate de Originibus judicari queat. Strabo refert Thraces primo Sitines, deinde Sintos, postea Sayos, tum Sapas dictos. Sic Bregi, Breges, Phryges: Mysii, Mæones, Mennes iidem. Et quantam mutationem Gotticæ linguæ Saraceni in Hispania, hi Saracenorum intulerint notum est. Sic Hunni in Pannonia multa Germanica nomina, sua fecerunt. Buda non ab Attilæ fratre (is enim Bleda fuit) sed à thermis *Badis* nomen accepit. Sic Vesprinium non Hungarica sed Germanica vox est, *VVeisbrunn.* Ejus generis afferri innumera possent, sed hæc sufficiunt. In his si mutatam, omissam, transpo-

ſitam literam vel ſyllabam deprehendamus; mirandum non eſt, cum etiam Latini ex Polydence Pollucem, ex Heracle Herculem, ex Aſclepio Æſculapium fecerint. Ex omnibus autem quæ validiſſimè probant, locorum, urbium, montium, fluviorum, hominumque nomina ſunt, minus obnoxia mutationi quam cæterarum rerum.

Et his quoque plurimum Strabo ac Plinius tribuunt. Nam ille vel hinc probat Colchicas res veras eſſe, *quia Æa circa Phaſin, ut & Phryxium in Colchidis & Iberiæ finibus, & Æeta nomen illis gentibus receptum ac multis in locis Iaſonia.* Non alienum quoque ab hoc inſtituto erit variam pronunciandi rationem conſiderare. Videmus enim ſingulis gentibus peculiarem quaſi characterem impreſſum aliis non facilè imitabilem. Sic *Schibolet* Ephraimitis, *Pequini* Anglis in Gallia exitiale fuit. Finni non poſſunt pronunciare liquidam cum muta, & pro *Grex* Rex dicunt. Iaponii H, B, T. Sinenſes D male pronunciant. Tatari neſciunt ſonare literam B & pro *Blac* ſuum, *Ilac* referunt, teſte Monacho Rubruquis, qui ad eos ante aliquot ſecula legatione perfunctus. Sinenſes Cantonii carent litera R nec duas conſonantes ſine interjecta vocali efferunt. Itaque Portugallos vocant *Falancks* id eſt Francos, quod commune Europæis Chriſtianis in oriente nomen. In provin-

provincia Fuquien L pro N. usurpant & dicunt Lanchin pro Nanchin. Cuzconica lingua literis B D F G & I consona, singulo L, & duplici R in principio vel medio dictionis destituitur. Accentus iis nunquam in ultima, in antepenultima rarò, semper fere in penultima est.

CAP. VIII.

Mores crebro mutant. In America barbaries humaniorem cultum ferè exstinxit. Aliqui etiam ignis usum amiserunt. Latii & Grotii error. Gentium insignia. Corporis habitus minus mutationi obnoxius. Hinc firmâ pro origine argumenta.

MOrum ambitu ritus sacros & profanos complectimur, in quo argumento non minus omnia ambigua & incerta sunt. Quoties fieri solet ut cultæ gentes barbariem induant, barbaræ verò mansuetiores reddantur? Achæi in Scythia ultra modum sævi facti. Contra Gothos, Hunnos, Longobardos, ab ipsis in quas migrarunt regionibus, humaniorem cultum didicisse constat. Balearidum incolæ è Phœnicia multum à prisco cultu degenerarunt. De Turdetanis Bœticæ populis Strabo testatur, eos adeo in Romanos ritus transformatos, ut etiam propriæ linguæ memoriam amiserint. Araucani Chilenses olim ab homiedonum ferino ritu alieni, postea du-

rante contra Hiſpanos bello, quos omiſſa ſementatione pellere nitebantur, carnes humanas guſtare didicerunt. Adeo mirandum non eſt nullum fere humaniorem cultum in America repertum. Quanquam enim etiam cultæ gentes ex Phœnicia & Sinis Americam acceſſerint, in univerſum tamen barbaries prævaluit. Adeo ut aliquæ gentes, quod vehementer mirandum, etiam ignis uſum ſine quo tamen vita humana vix videtur conſiſtere poſſe, amiſerint, quod in Canariis & Philippinis deprehenſum. Ita haud dubie qui primo in Americam venerunt, ſilveſtres & exleges fuerunt. *Quanquam*, inquit Acoſta, *non ſit incredibile, licet ex politis terris venerint, omnium tam longo tempore oblitos fuiſſe; cum etiam in Italia & Hiſpania reperiantur hominum greges, quibus præter geſtum & figuram nihil humani ineſt.* Vt hęc Latii obſervatio nimis præceps & rigida ſit: *Niſi mores in omnibus, aut ſaltem pleriſque & præcipuis conveniant indicium hoc omnium leviſſimum eſſe.* Bene illud, non proferenda quæ omnium gentium communia ſunt, quod Hugo Grotius nimis temere fecit, dum pro Norvvagis ſuis argumentatur. Vt *quod vita olim in venatu, tribunalia ad experimentum altiſſimi æſtus, ſellæ ſingulis & menſæ ad focum, Diis mactare homines, arma arcus & ſagittæ, vicatim habitare, tempora per noctes & Lunas digeſta.* Nimis hæc apud pleraſque

rasque gentes obvia & nulli peculiaria. Sunt vero alia gentium insignia, qualia Tertullianus in libro de velandis virginibus recenset, *pennas Garamantum, crobylos barbarorum, cicadas Atheniensium, cirros Germanorum, Stigmata Britonum.* Seneca Epistola ultima de insignibus capillamentorum tradit, *Germanos nodo strinxisse, Parthos effudisse, Scythas sparsisse crines:* Ac ingeniose Tacitus collegit, Peucinos Fennosque Germanis potius adscribendos: quia domos figant, non ut Sarmatæ & Hamaxobii in diem transferant. De quibus Seneca cap. 4. de Providentia: *Imbrem culmo aut fronde defendunt. Super durata glacie stagna persultant, in alimentum feras captant. Nulla illis domicilia, nullæ sedes sunt nisi quas laßitudo in diem posuit. Intecta corpora; vilis & hic manu quærendus victus.* Quod de vetustioribus Germanis, quales Cæsaris ævo, Lipsius capit. Rectius de Sarmatis & Iazygum gente accipias: nam ab illa desultoria vita Germani abhorrebant. Magnum præ cæteris in eruenda gentium origine momentum habet corporis habitus, minus, quam cætera, mutationi obnoxius. unde rutilæ Caledoniam habitantium comæ & magni artus Germanicam: Silurum colorati vultus & torti plerumque crines Hispanicam originem Tacito in Agricola asseverant. Herodoto Æthiopes orientales ab occidentalibus, hac nota dis-

ſtinguuntur, quod illi capillos rectos hi criſpos habent. Idem Strabo tradit, quanquam falſo exiſtimet Indos non eſſe colore aduſto. Nihil enim nigrius Malabaranis. Herodotus alibi quoque Colchos hoc argumento reliquias Ægyptiorum eſſe probat, quia capillis nigris & criſpis erant. Nec bene addit: *Nihil hoc ad rem facere: quia & in aliis gentibus deprehendatur.* Nam ſolo quidem capillitio res non conficitur. Cæterum accedentibus aliis, authoritate utriuſque gentis & circumciſione, tanti hoc momenti eſt, ut niſi capillis nigris & criſpis fuiſſent Colchi, jure negari potuiſſet ab Ægyptiis eos deſcendiſſe.

CAP. IX.

Religionum patriarum tenaces gentes. Americani Religionem ſuam ex noſtro orbe intulerunt. Multa à primis detectoribus Americæ falſo tradita. Grotii negligentia.

DE Religione, opus non eſt ut multa dicamus. Conſtat ejus indicio luculenter in origines genticas penetrari poſſe. Nam nihil tam ſtudioſe conſervarunt quam antiqua & patria ſacra. Itaque Deos ſuos & ſacra quocunque terrarum migrarent, ſecum ferebant, ſicut ex Græcis & Latinis patet. Idem de Americanis exiſtimandum, intuliſſe eos ſuam Religionem ex noſtro orbe, non ibi demum

exco-

excogitaſſe. Quanquam apud Mexicanos & Peruanos multa videantur acceſſiſſe nova, vel potius quæ diuturnitate temporis intercide-rant, in uſum revocata ſint.

Multum etiam in eo ſitum eſt, ex quibus authoribus argumenta linguæ morumque promantur. Latius recte: *Satis conſtat à primis inventoribus harum regionum multa fabuloſa aut perperam linguæ ignorantia intellecta, fuiſſe prodita.* Itaque conferendi primi rerum Americarum ſcriptores cum poſterioribus, qui cuncta exploratius tradidêre. Ac ut excuſari queat ſi quis ab authoribus fallatur, ita Hugo Grotius tam aliena & falſa ab argumento quod probandum ſuſceperat, attulit, ut merito omnes ſupinam ejus negligentiam mirentur. Qualia ſunt hæc à Latio notata: *Scriptura Peruanis non per literas ſed per rerum notas idque à ſummo charta ad imum, ut in Sinis. Pagod* Mexicanis Deus minor, *Guayra* flabellum, *Thophos* capitis tegmen, *Lame* agnus, *Peke* torrens. Quæ omnia falſiſſima ſunt, & ex Abrahami Mylii commentis exſcripta, ut inſpicienti patet.

CAP. X.

Authoritati in hac quæstione nullus locus. Americanis cognitus noster orbis. Californianorum & Mexicanorum traditiones. America priscis cognita. Sileni narratio. Senecæ locus in Medea. Ammiani Marcellini.

ID prætereundum non est, neque Americanos quicquam expresse de sua origine, nec nostros de migratione gentium in novi orbis partes tradere. Quod non minimam difficultati causam in hac quæstione præbuit. Vnde Acosta profitetur; *sibi omissis authoritatibus soli rationi insistendum.* Non tamen vel noster orbis ignotus Americanis, vel illorum nobis fuit. Nam Californiani noverant idque sibi à majoribus traditum asseverabant, *gentes in alio orbe barbatas & vestitas reperiri.* Sic Mexicani, *se advectos ex alia orbis parte in Americam,* retulerunt, apud quos etiam communis opinio fuit, *venturam ab oriente gentem,* quam apud Iucatanos celebris vates Chila Cambel, ut videtur, propagavit. Vnde Hispani interrogati: *an ab oriente venirent?* Idem Mechoacanis prædictum fuit. Priscis quoque scriptoribus nostris cogniti fuerunt ultra Oceanum orbes alii, de quibus Clemens Alexandrinus in Epistola quadam teste Hieronymo in cap. 11. Epist. ad Ephes. Nihil nunc de Atlantide Platonis dico, res notior est quam ut referenda sit. Memora-

morabile est quod Ælianus III. Histor. refert Silenum Midæ narrasse: *Europam, Asiam, Lybiam, insulas Oceano circumfusas esse; extra eas continentem quandam infinitæ magnitudinis quæ nutriat grandia animalia & homines duplo majores & longæviores quam nostri sint. Ibidem esse magnas civitates, diversa vitæ instituta & leges nostris contrarias.* Adjecit: *hanc terram possidere grandem vim auri & argenti, ita ut inter illos populos minoris pretii sit quam apud nos ferrum.* Hæ sunt magnæ illæ insulæ de quibus ex Aristotelis & Theophrasti mente Apulejus libro de Mundo. In Senecæ suasoriis Avitus testatur communem opinionem jactari: *Fertiles in Oceano jacere terras, ultraque eum rursus alia littora alium jacere orbem.* Quo Senecæ Tragœdi prædictiones in Medea pertinent:

Venient annis
Secula seris quibus Oceanus
Vincula rerum laxet & ingens,
Patrat tellus Typhisque novos
Detegat orbes, nec sit terris, Vltima Thule.

Hæc non profecta fuerunt ex mera & incerta conjectura, quod arbitrantur Acosta & alii, sed ex illa notitia jacentium in Oceano terrarum. Et cum Marcellinus inquit: *In Atlantico mari Europæo orbe potior insula*, nonne Americam digito quasi ostendit?

CAP. XI.

De tempore quo gentes singulæ in Americam venerint. Habitari cœpta statim post diluvium. Antiquitates Americanæ. Recentißimi qui maximè Septentrionales. Vnius originis quinam? Duæ in America coloniæ magnæ, Phœnicum & Scytharum. Quibus viis in Americam ventum?

DE tempore quando in Americam venerint gentes singulæ, nihil definiri potest. Quosdam populos non diu post diluvium in eam venisse ex incolarum multitudine Latius colligit. Verba ejus sunt; *Ego ita judico, quum America tam late pateat quam noster orbis & non minus habitata fuerit quam aut Europa aut Asia aut Africa, omnino credendum esse non ab annis quingentis aut mille primum habitari cœpisse, sed statim post confusionem linguarum & dispersionem illam familiarum etiam in Americam migratum fuisse: nam alias non video quomodo idonea ratio reddi poßit tantæ ubique per Americam incolarum multitudinis, & infinitarum fermè linguarum, & à se invicem & ab Europæis toto cœlo discrepantium. Neque tamen negandum puto etiam subsequentibus seculis novos advenas accessisse. Post Christi fidem susceptam id accidisse in animum inducere non possum, quia ne levißima quidem Christianismi vestigia in his partibus usquam inventa. Caret autem ut puto exemplo populum aliquem post sacra* Christia-

Christiana accepta ita ea denuo obliterasse ut nihil ejus esset reliquum. Purchasius antiquitates Americanas non excedere vult annos retro cIↃcccc: Quia nimirum Imperia Mexicanum & Peruanum recentia, & rari etiamnum in Septentrione cultores. Porro cIↃ cccc annos ad tantam hominum multitudinem procreandam sufficere. Quod verum est de Hunnica & Sinensi origine, unde Chichimecarum gentes, & Mexicani ac Peruani, recentiores nato Christo, profecti. Sed antiquiores adhuc in Americam colonias venisse, certo constat. Quæ autem ex his gentibus antiquiores quæ recentiores sint, ita utcunque demonstrari potest. In universum recentissimi qui maxime Septentrionalia colunt; australes ævi vetustioris; nec non illi qui se indigenas putant ac origines suas penitus ignorant, quales Aitani & Peruani. Nam Californiani & Mexicani sese aliunde advectos non ignorarunt. Vnius originis sunt apud quos eadem lingua: ut Iucatani, Brasiliani, Paraguayani, Magellanici: Ita enim Acosta libro de convers. Indor. *Lingua Varaquaiana omnium latissima est: obtinet in omni Paraquai & Brasilia. Iucatani eam intelligunt & complures alii populi usque ad fretum Magellanicum & S. Mariam.* Si Iucatani eam intelligunt, etiam Aitani & Cubani. Nam interpretes quos Cortesius ex Cuba adduxit à Iucatanis

catanis intellecti, ac deprehensum fuit *utrumque Idioma si non idem, at consanguineum esse*, teste Martyre. At Iucatana lingua plane alia ab Mexicana: unde Aghilar Iucatanæ peritissimus, Mexicanam non nisi per interpretem Marinam Xaliscanam intellexit. Vnde omnis fere australis America & magna Septentrionalis pars ab una origine. Duas ingentes colonias in Americam venisse deprehendimus. Vnam Phœnicum, ab Oriente, quæ in Fortunatis, sinu Mexicano, Iucatana usque ad fretum Magellanicum magna adventus sui vestigia reliquit. Alteram à Septentrione Scytharum à quibus tota America inundata & omnis qui fuit cultus fere abolitus vel in Scythicum mutatus.

Vias quod attinet, quoniam evidentibus argumentis deprehenditur, Americam undique ab orbe nostro abscissam ac magnam insulam esse, mari omnes venisse constat, nullos terrestri itinere, nisi forte per concreta glacie freta. Nec obstare illis potuit Oceani inter jacentis latitudo vel pixidis nauticæ ignorantia. Nam si casu & tempestatibus ejecti, omnem defectum ipsa necessitas & vis supplevit. Si consilio eo navigarunt, sufficientibus ad tantam navigationem perficiendam instructi mediis fuerunt.

Finis Libri primi.

DE



DE ORIGINE GENTIUM AMERICANARUM

LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

Situs orbis & quousque detectus. Viæ in Americam. Per Septentrionem. Iaponia an insula incertum. Sesso Americæ proxima. Feræ freta tranant. Glacies transitum præbet. Per Orientem & Occidentem. Ibi ingens Oceanus. Scaphis innavigabilis. Falsum piscatores ex Abyssina in Iucatan abreptos. Æthiopes Americani unde. Naves mercatoriæ ventis in longinquas regiones abripiuntur.

INITIO considerandum quibus viis adiri America commodè queat. Nam, ut bene Latius, *etiamsi forte aliqua communio aut similitudo morum & linguæ ostendi possit, & non aliqua commoda iniri ratio, qua à sua regione in hanc venerint, nihil hac conjectura profectum æstimari potest.* Idque

que ut exactius pateat, positura totius orbis ante oculos habenda est.

Ex qua patet Americam cum Septentrionali Gronlandia continentem esse, & utcunque vasti sinus intercurrant, fretum tamen hactenus nullum, etiam magno studio quæsitum, reperiri potuisse. Gronlandia inde versus Lappiam protensa, ab extremo ejus promontorio, quod antiquis Rubeæ, recentioribus *Nordkyn*, maximo freto vel patenti potius mari dispescitur. Quid ultra sit per partes, usque ad novam Zemlam lustratum est, magnus nimirum Oceanus in quo sparsæ hinc inde sive continentis partes sive insulæ sunt. Atque ibi fessa hominum substitit curiositas & totus ille à Nova Zemla ad Iaponiam usque & Sinensem murum ac Coream tractus, Europæis adhuc incognitus est. Vt si alicubi America nostro orbi vel proximat vel cohæret, id circa Cathaiam & extra arcticum circulum fieri necesse sit. Igitur ab hac parte, duplex in Americam per occidentem & orientem via. Per occidentem ut ex ingenio illarum regionum æterna glacie & nivibus rigentium patet, difficillimus, non tamen impossibilis transitus datur, cum natura pro locorum asperitate etiam corpora formet. Vt vero facile credamus Americam Septentrionalem Asiæ propius conjungi, nupera quam Franciscus Caron publicavit

Iaponiæ

Iaponiæ deſcriptio facit. Refert is (& à pueritia in illa Inſula, poſtea etiam cum Imperio verſanti, res ea ignota eſſe non potuit) incertum etiamnum eſſe, Inſula ſit Iapon, quam incolæ Nippon appellant, an continentis pars. Nam majorem ejus partem ipſis adhuc Iaponenſibus incognitam. Supra Provinciam Quanto ubi Regum ſedes urbſque præcipua Iedo ſita eſt, viginti ſeptem dierum itinere terram verſus ortum Solſtitialem protendi, antequam ad extimum promontorium provinciæ Tſunga perveniatur. Hinc trajecto undecim milliarium freto, ad regionem Ieſſo ſive Seſſo perveniri, vaſtam montoſamque & parum habitatam, ſed pretioſarum pellium ditem. Ingens ea terra & nunquam à Iaponenſibus plene perluſtrata ob magnitudinem & commeatus defectum. His difficultatibus in propoſito ulteriora perluſtrandi Iaponiæ Monarcham abſterritum. Incolæ corpore hirſuto, capillis prolixis, barba in Sinenſem morem, bruti ac in totum barbari. Quibus hæc ſubjungit idem author: *Vt eo melius conſtet quam incertum ſit, inſulane Iapon an continens, obſervandum aquam inter Tſungar verſus Seſſo & Iapan porrectam, ingentibus excipi montibus & inculta terra quæ circa Ochiam jacet. Ne igitur opus ſit longo circuitu uti, ſcaphis hodie in Seſſonem trajiciunt.* Quæ omnia magnam lucem Americanis tenebris inferunt.

Quid

Quid enim vetat quominus Seſſo vel pars Americæ vel ei admodum vicina ſit? Et quam bene illa barbaries novo orbi convenit? Accedit Gronlandiæ ſitus tam commoda inter Seſſonem & Americam poſitura, ut gentes facile tranſire ſive in orientem ſive in occidentem poſſint. Ita inventa via per quam homines pariter & beſtiæ in Americam commeent. Neceſſe eſt enim id vel per continentem, vel per anguſtum fretum vel per glaciem fieri. Fretum ſi anguſtum ſit tranare poſſunt alces, urſi & ſimiles feræ, quæ non verentur tranare ſinum maris, ut itineris compendium faciant. Sane in prima Iacobi Quarterii navigatione urſi facillimè tranarunt quatuordecim leucarum mare quod eſt inter continentem & Inſulam avium. Quod ſi magnum ibi & apertum mare, cum toto ferè anno glacie concretum ſit, univerſum illum tractum, Novam Zemlam, Gronlandiam & Americam connectet ac pontis vice tranſitum dabit. Quæ via non diſplicet Latio. Verba ejus ſunt: *Potuerunt* (Samojedæ) *rhedis ſuis ſuper glacialem Oceanum vehi & ita in Americam venire atque eodem itinere etiam plurima animalia his familiaria potuerunt tranſcendere.*

Ab Occidente & Oriente ingens Oceanus Americam nonniſi longa ac difficili navigatione, acceſſibilem facit. Inter Peruviam & Sinas

nas distantia amplius II cIↃ IↃc leucarum. Ex Peruvia quidem in Sinas ventis secundis bimestri spatio navigari potest. At longe difficilior ex Philippinis in Americam navigatio. Nam cum venti intra tropicos semper sint adversi, extra eos longis ambagibus usque ad Californiæ Parallelum enitendum est. Ita ab hac navigatione piscatorii lembi excluduntur. Obstat immensum & scaphis innavigabile maris spatium, requiritur etiam amplus in aliquot menses commeatus. Vt vanum sit quod de piscatoribus ab hac vel illa ora in Americam abreptis scribunt. Grotius præ cæteris in hoc argumento vanitatis manifestus, ut Æthiopes Abissinos in Iucatanam transferat, facile evenire potuisse arbitratur, *provectis nonnihil ab ora sua piscatoribus, deinde per ventos illos vehementes qui recta in Americam ferunt abreptos, quale quid evenerit nautæ illi à quo Columbus novi orbis notitiam acceperit & Indis illis quos delatos ad Suevorum littora Plinius tradit.* Cui rectè Latius respondet: *Inusitatum prorsus esse piscatores cum ad piscatum exeunt, tantum commeatum secum ferre, ut iis ad tam longam navigationem potuerit sufficere.* Præterea si quis immane illud inter Iucatanam & Æthiopiam intervallum intueatur, illi non modo nõ facile sed omnino impossibile videbitur piscatores eo pervenisse. Primo enim nec Iucatan & Æthiopia Congen-
E sis

sis oppositæ terræ, nec Brisæ statis temporibus in illo Oceano spirantes, versus Libanotum, sed recta ab oriente in occidentem flant, ac vectores suos longe adhuc à littore destituunt: Deinde Iucatan inter tot sinus Mexicani insulas penitus quasi abscondita latet. Quis credat piscatores recta ad Iucatanem abreptas, cum peritissimi nautæ inter tot brevia & insulas cursum suum vix tenere possint absque naufragio? Ac demus usque ad Canibalum insulas vel quæ opposita est, meridionalem Americam venisse (nam nec ad alias oras tempestatibus abripi potuerunt) quo tandem fato pauculi piscatores in Iucatanam per tot adhuc terrarum mariumque spatia venerunt? Constat etiam difficile esse ab Æthiopiæ ora in altum provehi, nec inter Tropicos tam longæ tempestates quæ deprehensos usque in Americam ejiciant. Et quod solum ad fabulam redarguendam sufficit; nunquam Abyssini ad Oceanum Atlanticum Imperio suo pervenerunt. Quomodo igitur Abyssini piscatores in eo mari? Alia Congensium ratio est quorum naves ad ejusmodi navigationem non omnino ineptæ & ducentorum vectorum capaces sunt, teste Lopezio. Et ab his vel propioribus adhuc Genensibus originem proculdubio traxere in Careta reperti nigerrimi Æthiopes non admodum multi de quibus testimonium perhibent

hibent Martyr ac Gomara. Ac quam abſurdum illud eſt piſcatorias ſcaphas cum mercatoriis navibus comparare? Quaſi quia hæ interdum tempeſtatibus ad longe diſſitas oras abripiuntur, idem de illis dicendum ſit. Nam cum mercatores commeatu & omnibus ad longinquam navigationem plerumque inſtructi ſunt, mirum non eſt eos ſæpius quo minime deſtinarant, appellere. Ita Pœnos ex Hiſpania & Lybia mercaturæ ſtudio Africam circumvectos conſtat, ac Annii Plocami libertus circa Arabiam navigans Aquilonibus, præter Caramaniam raptatus, decimo quinto die Hippuros Taprobanæ, quæ Zeilon, portum tenuit. Et talis ille mercator fuit quem in Americam abreptum Columbo authorem novi orbis extitiſſe fingunt. Sic enim Mariana: *Navis quædam in Africæ commercio occupata, ſuperioribus annis ventorum violentia abrepta ad ignotas terras & littora appulit.* Refert etiam in reditu vectores omnes fame extinctos, ſolo cum tribus quatuorve navarcho ſuperſtite. Quod minime mirabitur cui apud Tacitum lectum, in brevi inter Bataviam & Britanniam tempeſtate, eo inopiæ milites perveniſſe, ut infirmiſſimis ſuorum, mox ſorte ductis veſcerentur. Indi etiam in Sueviam ejecti, mercatores non piſcatores fuerunt.

CAP. II.

Raro tempestates tantæ ut naves in alium orbem ejiciantur. Lescarbotus & Acosta notati. Veteres an littora tantum legerint. Difficilis in Americam navigatio. Sinensium longinquæ navigationes. Mare Pacificum olim navigatum. Americani navigandi rudes. Facilior per Atlanticum mare navigatio. Australis Terræ facies.

NEque hic ad tempestates semper confugiendum & Tyria maria commovenda sunt. Quod video plerosque facere dum colonias per Oceanum Pacificum vel Atlanticum in Americam raptant potius quam ducunt. Nam casus ille rarus est, ut tempestatibus (quas ingentes esse oportet) naves per vastum illum Oceanum ad remotissimas terras absque naufragio ejiciantur. Nugatorium est quod Lescarbotus scribit: *Chananæos ab Israëlitis fugatos ascendisse naves & à tempestatibus actos ejectosque in Americam fuisse.* Nunquam credo situm Chananææ & Americæ inspexit, qui tam horribilem tempestatem confingit quæ classem ab ora Phœniciæ per mediterraneum mare in Americam usque raptaverit. Nec levis Acostæ stupor, negantis certo consilio & destinatione olim in Americam navigatum. Itaq; ut hanc maritimam & patentissimam viam nobis occludat, ac cuncta ad casum & tempestates referat, fingit veteres littora

tora tantum & maritimam oram legiſſe, nunquam ſe patenti Oceano committere auſos. Amiſſo terræ conſpectu per incerta vagatos. Quod commentum vel ſolæ ad Fortunatas, Caſſiteridas & alias Oceani Atlantici longe diſſitas inſulas Carthaginienſium navigationes ordinariæ & ex certa deſtinatione ſuſceptæ, confutant. Vt nihil nunc dicam de Africæ circumnavigatione de qua Herodotus in Melpomene. Ea autem maris Africani ratio eſt ut niſi perire velint navigantes, littora legere haud quaquam permittat, & quo longius à terra ac medio in mari,eo certius navigatur. Fateor magnetis uſum tum nullum adhuc fuiſſe, quo invento magnum omnino momentum rei nauticæ acceſſit. Sed habebant alia tamen veteres ſubſidia, præſertim Tyrii, nobis fortaſſe hodie ut multa, incognita, quibus defectum *Compaſſi* utcunque compenſabant, certe propterea Oceano non abſtinebant. Igitur adiri ſane ex Aſia per Orientem,ex Europa & Africa per Occidentem America potuit, ſed multorum menſium difficillima navigatione, ad quam conficiendam magnis navibus & commeatu ſufficiente opus fuit. Nec tamen eadem ubique Aſiæ extimæ & Europæ ad Americam ratio eſt.Ex Cataia & Sinis ad Californiam & novæ Hiſpaniæ oram navigatio difficilis ob procelloſum mare. Difficilior in

Peruviam, tum propter Oceani vastitatem, tum quod adversis semper ventis ibi navigandum. Quia tamen Sinensium naves & magnæ & veliferæ, ac eorum longinquæ navigationes asseverantur, nulla quantumvis difficilis via negligenda ad incolas in Americam ducendos. Eos enim per omnem Indiam ac in Africam usque navigasse jam ante multa secula Xaverius & Texeira authores sunt. Acosta duobus argumentis probat Mare Pacificum olim navigatum fuisse: tum quia Peruviani ad suam oram mari delatos Gigantes narrarunt: tum quia Icæ & Æricæ habitatores ad insulas longe versus occidentem sitas navigarunt. Multos ab hac sententia abstrahit crassa illa rei nauticæ apud Americanos imperitia, qui non nisi lintres sive monoxyla & canoas id est scaphas habebant nullo velorum aut clavi usu. Quod qua ratione fieri potuerit si magnis navibus & à rei nauticæ gnaris advecti, animo concipere non possunt. Quasi vero non innumera extent evempla talium mutationum? Idque jam supra ex professo demonstratum, ut pluribus nunc opus non sit argumentis in re clara. Navigatio per Atlanticum mare minus difficilis fuit propter crebras insulas, quales sunt Azores, Fortunatæ & Hesperides. Certe Azores medio quasi itinere inter Hispaniam & Americam jacent. Ab insulis etiam Viridis

Promon-

Promontorii haud adeo longus in Brasiliam trajectus, & conveniunt Autololum, qui Getuli non Æthiopes, cum Brasilianis mores ac corporis habitus.

At australis terræ hæc facies. Freto Magellanico plurimæ insulæ objacent. Extra eas vastum mare. Versus Orientem & novam Guineam magnæ terræ sed nondum exploratæ. Ora Guineæ initium capit centum leucis ab Insula Gilolo, ad primum latitudinis gradum atque ita in longitudinem protenditur versus ortum trecentas leucas usque ad septimum gradum. Vastæ hinc inde in Oceano australi terræ jacent, innumerabili hominum multitudine refertæ, quorum alii candido, alii fusco, alii mixto, alii etiam atro colore sunt. Capilli nonnullis nigri, longi, soluti; aliis crispi & villosi, multis flavi. Mores in universum barbari & Americanis non dissimiles. Sed nondum constat quam prope cum Magellanica illæ australes regiones coeant. Cui si alicubi proximent, tum id magno intra vel extra circulum Antarcticum ambitu fieri necesse foret. Apud Iavam Majorem, longo tamen intervallo, reperta à Batavis terra quam Concordiam vocant, eamque cum Nova Guinea jungi putant. Proximæ ex insulis continenti Americano sunt illæ quas Salomonis appellant, ad XI. gr. Latit. australis & non nisi I Ↄ C C C leucis ab

ora Peruviæ. Hæ omnes viæ in novum orbem ducunt, nec ulla videri debet hominibus inaccessa vel intentata.

CAP. III.

Antiquissimi Americæ cultores Phœnices. A quibus secreti Iudæi. Vnde dicti. Chananæi ab Israëlitis pulsi. In Africam fugerunt. Et Asiam superiorem. An & in Germaniam ac Scandiam? Quæ Phœnicum nationes in Africam v nerint. Cadmonæi in Græcia. Africanorum Dux Hercules. Dictus Marcerin. *Sallustius Medos & Armenios pro Madianitis & Aramæis substituit. Mauri ab Amoræis. Vt & Gomeres.*

EX antiquissimis ac fortasse primis Americæ cultoribus Phœnices sunt, gens nauticæ rei peritissima, ac qui totum orbem mercaturæ vel peregrinandi studio obiverunt. Quorum ambitu Iudæos excludimus, quos Græci frequenter Phœnicum nomine complecti solent. Veluti cum Herodotus scribit, *Phœnices circumcisos, suilla abstinere, quondam mare rubrum accoluisse, inde ad maritima Syriæ transgressos.* Ipsi sese Chananæos appellabant. Phœnices ab exteris vocati undecumque tandem id nomen fluxerit; nam opiniones variæ & omnes incertæ sunt, maximè illa Bocharti, dictos quasi בני ענק, quod ex posteritate Anaki vel essent vel gloriæ studio videri vellent. Eorum lingua haud multum adhuc Augustini & Hie-

& Hieronymi ævo, ab Hebræa diverſa, ut do-
cti viri dudum demonſtrarunt. Hæc gens qua
ratione primum in Africam & Europam inde
in Americam venerit, ordine oſtendendum
eſt.

Communis opinio eſt Chananæos ſive
Phœnices ab Iſraëlitis ex Ægypto venienti-
bus ejectos, in varias regiones ſe contuliſſe &
coloniis ſuis multa Africæ & Europæ loca oc-
cupaſſe. Non deſunt in Sacris literis argumen-
ta quibus hoc ſatis evidenter probari poteſt.
Exod. XXIII. 28. 29. Deut. IX. 3. 4. XXXIII.
27. Ioſ. II. 9. 24. XIII. 6. Vt mirandum ſit
quorundam contradicendi ſtudium, qui rem
tam claram in dubium vocare audent ac ſcri-
bunt, *non legi expulſos Chananæos, ſed tantum tri-
butarios factos.* Vtrumque enim Iudicum I. 19.
legitur. Non ignota hæc migratio Græcis
fuit, & eam Salluſtius innuit in Iugurtha: *Si-
donios profugos ob diſcordias civiles in Africam na-
vibus veniſſe ac Leptim ſtruxiſſe.* Caphtoræi &
Girgeſei in Septentrionem migrarunt; unde
Cappadocum, Colchorum, Georgianorum
ſive ut hodie appellantur Gurgeſtanorum po-
puli. Cappadoces ſane à Græcis λευκοσύρων no-
mine indigitantur, eorumque vicini Cilices
conditorem habent Cadmi fratrem Cilicem.
Ibi etiam urbs Thebæ ab Achille everſa &
Adramyttum Arimi in Lycia. Quod author

libri Seder Olam partem Chananæorum in Germaniam venisse tradit, à quorum gente Chettæis Genebrardus Cattos deducit, vix fidem meretur. Multominus Arngrimi Ionæ deliramentum qui Gigantes orbis Arctoi, Suediæ & Norvvagiæ ab his Chananæis deducit, puerilibus plane rationibus inductus quas referre operæ pretium non est. An Sinæi cum Scythis & Indis in Sinensium gentem coaluerint, infra dicemus. Occidentem pervaserunt Chananæi, Iebusæi, Amoræi, Girgesæi, Kadmonei, Ammonitæ, Madianitæ, Anakæi & alii omnes communi Phœnicum nomine celebrati. Nam quod Procopius Iebusæos tantum & Gergesæos in Africam fugisse tradit, vel falsum est, vel intelligendum de illis qui in Tingitana habitarunt, conditoribus Tingis. Hi primo in Ægyptum vicinam venerunt teste etiam Procopio, ubi Ægyptiis connubio & amicitia mixti, postea in Africam & Græciam colonias eduxerunt. Cadmonæi pulsis ex Phthiotide Hellenibus regionem inter Ossam & Olympum occuparunt vel ut alii Bœotiam & Doridem circa Parnassum quæ Estiotis dicta & Cadmeia, ac ibi Aonibus, Temnicis, Ectenis, Hyantibus permixti, Thebas condiderunt. Dux itineris Cadmus Agenoris filius, vel secundum Suidam Ogygis: quoniam idem Ogyges qui Agenor id est Og Rex Basanis,

cujus

cujus filius vel cognatus Cadmus fuit. Arabes quoque in ejus exercitu qui in Eubœam ex Bœotia trajecerunt teſte Strabone. Alii, & quidem longè maxima pars, partim terra per Catabathmum, partim, ut de Sidoniis Criſpus tradit, mari, Cyrenaicam & univerſum Africę littoralis tractum occuparunt, de quibus Euſeb. in Græcis Chron. & Procop. 11. Vandalic. Horum Dux & Princeps ille fuit quem Græci Herculem Tyrium, Diodorus Ægyptium, Salluſtius Libyn appellant. Nomen ejus verum ſolus fortaſſe Pauſanias in Phocicis tradit: *Macerin dici Herculem Ægyptium & Africanum.* Quæ genuina Phœnicum vox quibus מחקר Sapiens & quem Philoſophum vocant: unde etiam vox Μακέρος & ipſum Mercurii nomen unica litera inſerta. De quo alibi ex profeſſo. Hujus Herculis Africani res geſtas nemo melius deſcribit quam ex Punicis Regum Numidiæ commentariis Salluſtius. Sed quod ex Perſis, Medis, Armeniis conflatum fuiſſe exercitum ejus vult commoda interpretatione juvandum eſt. Quis enim credat Perſas & Medos cum Hercule in Africam veniſſe? Deceptus nominum ſimilitudine Criſpus, cum pro Madianitis Medos, pro Aramæis Armenios, id eſt notos ſibi in locum ignotorum, poſuit. Non enim cogniti Romanis Midianitæ vel Aramæi. Perſarum no-

men

men tum temporis adhuc incognitum, quos tamen Medis propter viciniam & idem Imperiū, conjunxit. Quanquam se Rabbinorum, id est hominum in historia ineptissimorum exemplo tueri possit Sallustius, qui Iosuam cum Armeniæ, Persidis & Mediæ Regibus bellum gessisse volunt. R. Abraham Zaccuth in Iuchasin & R. Godolia in Schalscheleth. Quod vero idem author à Medis & Armenis Mauros appellatos tradit, longius quæsitum & sine dubio falsum est. Crediderim in Punicis Annalibus Hiempsalis Amoræorum nomen extitisse, vel Mororum; unde propter literarum ר & ד affinitatem, Medi emerserint. Sic Rodanim & Dodanim sine discrimine dicitur. Porro Amoræos in Africam cum cæteris Phœnicibus trajecisse dubium non est, à quibus Mauri & Gomeres. De quibus Antonius Nebrissensis Dec. II. Rer. Hispan. *Et in Mauritania hominum genus bellicosum, qui non sibi sed mercede conducti aliis populis bella gerunt*, Gomeres *appellant, nomen ut videtur ductum à Gomer filio Iaphet. Ab his Gomeritis Lybiæ appellatur nostro tempore* Velez de la Gomera, *& una ex* Fortunatis Gomera. *Hi sæpe in Hispaniam cum Mauris trajecerunt*. Rectius hos Gomeres ab Ammoræis duxeris.

CAP.

CAP. IV.

Phœnicum per Europam coloniæ. Sunt antiquißimæ. Sardus. Carthago unde dicta. Chedraneach. Adramyttum. Vtica. Tingis. Columna apud eam cui fuga Chananæorum inscripta. Quæ recentioris ævi. Chananæi Gades & Baleares habitarunt. Philistæi in Africa. Circa Hipponem Chananæi. Phœnices in Africa degenerarunt. Accesserunt aliæ eorum coloniæ, ut Didonis.

TAnta non Africam modo, sed insulas quoque ac magnam Europæ partem inundavit Phœnicum multitudo. Nam Sicilia, Melita, Gaulus, Sardinia, Corsica, Baleares, Gades, Cyprus, Cythera, Thasus, Thera & alia multa loca de quibus ex professo Samuel Bochartus, Phœnicum antiquissimas colonias habuerunt. Idque jam ante Trojana tempora factum Greci fatentur, nec diu post hanc Chananæorum fugam, duplici argumento colligimus. Primo: quia ante Græcos in illis insulis Phœnices habitarunt. At Græci diu ante Trojanum bellum propter viciniam illas insulas adibant. Deinde, quia Sardus, qui coloniam Phœnicum & Afrorum in Sardiniam duxit, Herculis Africani filius fuisse perhibetur, teste in Phocicis Pausania. Nomen ejus mere Phœnicium סרדין Princeps Religionis & justitiæ, quæ vox etiam in Sardanapali nomine occurrit. In Africa Phœnicum præcipuas colonias fuisse

fuisse reperimus, Carthaginem, Adramittum, Leptim, Hipponam, Vticam, Tingin, à singulis haud dubie nationibus conditæ. *Carthago* ita dicta per excellentiam, sicut Athenæ ἄστυ, Roma Vrbs, Medina Arabum & Iracensium. Nam קרתא Phœnicibus urbs est, Karthagena civitas hortorum, quam Græci οἰνζοσων verterunt. Alio nomine apud Plautum *Chedraneach* est, quasi חצרי ענק vel חדרי, ἔπαυλις Ἀναχ. Vnde ab Anakæis fortissima natione structa videtur, qui Kiriatharba per Calebum ejecti in Chananæa defecerunt. *Adramyttū* est חדר מתום, aula & sedes Myttum. Quod proprium apud Pœnos nomen fuisse ex Plauto patet. Et quoniam Sallustius Medorum meminit id est ut ante dictum Midianitarum, forte ab his Adramyttum structa. *Vtica* antiquam urbem notat. Hoc enim Pœnis עתיקה. *Tingis* unde dicta incertum, quæ cum altera ejus nominis quam & Lixam vocant, non est confundenda, monente in Strabonem Casaubono. Extitisse suo adhuc ævo circa Tingin columnam marmoream, cui Iebusæorum & Girgeseorum in illam Africæ partem adventus inscriptus fuerit, Procopius secundo Vandalicorum testatur. Qui solus ex omni antiquitate rem hanc memoria dignissimam tradit, & ex eo strictim Euagrius. Vnde Tingin à Iebusæis & Girgesæis structam patet. Sed quod de columnis dicitur, inquisitione

ne dignum eſt. Seldenus inſcriptionem lingua Phœnicum talem fuiſſe conjicit אנו ברוחים מפני יהושע איש חתף בן נון

Procopius: *Nos Mauruſii ſumus qui fugimus à facie Ioſuæ filii Nun prædonis.* Vix credibile ſub primum Phœnicum in Mauritaniam adventum eas columnas fuiſſe poſitas, cum ab eo tempore uſq; ad Procopii ætatem mille quingenti & amplius anni effluxerint. Mirum etiam nihil hujus à Strabone vel aliis obſervatum, præſertim cum Tingitana Romanis & Hiſpaniæ ob viciniam notiſſima eſſet. Quicquid ſit, res ſatis certa eſt, nec multum de columnis illis laborandum. Fortaſſe recentioris ævi fuerunt, quemadmodum illæ Sethi in Syria quas ſe vidiſſe Ioſephus refert. Certe Anonymus Alexandro Severo æqualis, Gades & Baleares à Chananæis & Iebuſæis quos Ioſua expulerit, habitatas fuiſſe tradit. Addunt nonnulli Medinam Sidoniam à Sidoniis conditam, monente ad Senecam Lipſio. Hiſpalim ab iiſdem ſtructam ex voce Arias Montanus colligit. Quibus omnibus etiam hoc addendum, quod Cl. Golius, vir ingentium de Rep. literaria meritorum, monuit: *Barbaros Afros ab Arabibus hodieque pro Philiſtæis in ea loca fuga delatis haberi.*

Ita Palæſtini inundata omni Africa & Hiſpania duplici nomine, Phœnicum & Chananæorum

næorum censebantur, illo exteris, hoc apud se receptu. Docet id B. Augustinus, qui refert suo adhuc ævo circa Hipponem interrogatos rusticos qui essent, respondisse, *Chanaani*. In Africa & Hispania Pœni vocabantur quasi Phœni teste Hieronymo in Ieremiam. Sunt enim affines literæ π & φ. Nec putandum hos Phœnices pristinos suos mores & instituta & linguam sine corruptione in Africa retinuisse. Sallustio tanta mutatio non incognita; *Getulis & Libyis mixtos per conjugia, Linguam & mores mutasse. Domus fuisse oblonga mapalia incurvis lateribus tecta, quasi navium carinas. Ipsos Libyes gentem asperam & incultam, cui cibus caro ferina atque humi pabulum ut pecoribus, sine lege, imperio, humanitate, vagam & palantem.* Et alibi de Leptitanis Sidoniorum colonia: *Ejus civitatis lingua modo conversa connubio Numidarum, Legum cultusque pleraque Sidonica.* Quantum alibi degenerarint, Balearidum exemplo manifestum est.

Post hanc migrationem diversis temporibus plures alias contigisse antiqui docent. Quippe sæpius mercaturæ studio, in Siciliam, Africam, Hispaniam navigarunt & colonias, ibi cæteris cultiores constituerunt. Huc celeberrimus ille Didonis in Africam adventus referendus quæ Carthaginem non prima quidem struxit, sed tamen instauravit & auxit.

Melitenses quoque coloniæ huc pertinent, quibus ædes cultiores & albato spectabiles opere, nec non artificum, imprimis textorum peritia.

CAP. V.

Phœnices ex Africa & Hispania in Americam navigarunt. Testis Strabo. Naves Gaditanæ. Facilis in Americam navigatio. Bellum inter Phœnices & Afros. Vnde pulsi Phœnices in Americam fugerunt. Sic Carthaginenses & Hispani.

IGitur Phœnices in Americam ex Africa & Hispania non infrequenter navigarunt. Author Strabo est eos Atlanticum mare ingressos extra Herculeum fretum urbes condidisse. Quod non de Mauritaniæ tantum extima ora, sed remotioribus etiam versus occidentem terris intelligendum, sequentia docent. Idem alibi dicit, *Gaditanos plurima & ingentia navigia in nostrum & exterius mare emisisse.* Ecce tibi plurimas & ingentes Phœnicum naves in Atlantico Oceano. Et cum secundo libro Eudoxi navigationem in Indiam & Æthiopiam ex Arabico sinu referret dicit, *eum summitatem proræ è naufragio superstitem, equo insignem in Oceano Æthiopico invenisse.* Id cum navis ab occidente advectæ naufragium esse intellexisset, secum in Ægyptum detulit, & à nautis quibus ostenderat edoctus est Gaditanæ

navis reliquias esse. Nam *Gaditanorum mercatores ingentibus uti navibus, pauperes parvis quas à prora insigni Equos appellent, quibus ultra Lixum piscandi ergo navigent.* Quod si cum parvis eousque venerunt navigiis piscatores, quid ingentes illas mercatorum naves omni apparatu instructissimas fecisse judicabimus? Tradunt Appianus in Libycis, Pausanias in Atticis & alii, *Carthaginenses suis classibus omnia maria scrutatos.* Et cum Libyam circumnavigarint duce Hannone, quid obstat quo minus in Americam quoque venerint? Difficilimum enim Africam circumire quod Lusitani satis deprehenderunt antequam *Caput de Non, Bojados* & *Esperanza* superarent. At in Americam tendentibus omnia faciliora. Atlanticus Oceanus quantumvis tumidus, etiam cymbis navigabilem se præbet, dummodo sufficienti commeatu instructæ sint. Sic Angli ex Nova Britannia in Hiberniam usque, intra dies non multos, navigarunt. Batavi pariter ex Nova Zemla Kolam Lapponiæ scapha vecti sunt. A Fortunatis ad Americam secundo vento quindecim dierum & ab Hispaniis ad Canarias difficiliorem quam hinc in Americam navigationem esse Acosta vult. Brisæ enim sub Torrida spirant tam constanti flatu ut vix opus unquam sit vela tangere. Ex quibus patet quam facile & frequenter in Americam
Phœni-

Phœnices deferri potuerint. Conſtat eos in Fortunatas creberrimè navigaſſe. Sive igitur caſu ſive conſilio in Torridam Zonam delati fuerint, non alio quam in Americam illi recta verſus occidentem ſpirantes venti eos provexerunt.

Si quis roget quid moverit Phœnices ignoto & ſine terris, quantum vulgo conſtabat, mari, ſe committere, ei ex multis, una hæc etiam reddi cauſa poteſt. Bellum inter Phœnices advenas & indigenas Pharuſios ac Nigritas, acerrimum antiquis temporibus geſtum; in quo tandem Phœnices ſuccubuerunt ingenti clade accepta. Quod ſolus ex omni vetuſtate, vir profecto magnus Eratoſthenes memoriæ commendavit, immerito falſitatis in hoc & aliis ab Artemidoro & Strabone accuſatus.

Is igitur Eratoſthenes tradidit, *in eo bello urbes Tyriorum ſive Phœnicum non pauciores* CCC *in Mauritania à Pharuſiis & Nigritis exciſas fuiſſe.* Iam cum nulla frequentior cauſa migrationis gentium ſit, quam inteſtina bella; urbium excidia, victorum impotens animus; quis dubitet in tanta poſitos calamitate Phœnices multos, relicta infelici patria, naves, quod unum evadendi medium reſtabat, conſcendiſſe & novas in Atlantico mari ſedes quæſiiſſe? Quod de Carthaginenſibus aſſerit Diodorus libro quinto Bibliothecæ. Et Hiſpanos Phœnici-

bus permixtos, flagrante bello Punico, cum nec naves nec terrarum in Atlantico Oceano deesset notitia, in Americam venisse admodum probabile Latio videtur.

CAP. VI.

Triplex Phœnicum in Americam adventus. Primus Atlantiorum. Atlas quis? Atlantica Platonis. Qui fabulosa immiscet. Plures insulæ Atlanticæ & inter eas Americanæ. Diluvium Atlanticum. Ejus memoria apud Americanos. Maxime Lucaiones & Aitanos. Maldiva olim continens. America diluvio apta. An Atlantica Platonis fabulosa? Comtæi error.

ITa potuisse in Americam Phœnices navigare ostensum. Nunc quod fieri potuit omnino factum probabimus. Tribus vicibus in Americam Phœnices appulisse ex antiquis scriptoribus satis clarè ostendi potest. Primus adventus omnium antiquissimus ille est, in quo Atlantes primas tulerunt, gens Africæ maxima & navigandi peritia celebris: & undecunque tandem orti Phœnicibus in Mauritania permixtos fuisse, dubium non est. Atlas Phœnix vel Ægyptius Cœli filius, Saturni frater; inventor astronomiæ & nauticæ artis habitus quod Chananæis & Ægyptiis omnes tribuunt. Hunc eundem cum Enocho fuisse Alexander Historicus apud Eusebium falso existimat. Plato in Critia *Neptuno genitum* scribit:

bit: *fratrem Gadirum habuisse.* Quo Phœnicia ejus origo manifeste astruitur: cum Neptunus sit Phœnicium numen: quippe inventor nauticæ: & Gadir Phœnicia vox. Ab hoc Atlante mons, regio, populus nomen accepere: hi Atlantes, ille Atlas, hæc Atlantis dicta sunt. Igitur Phœnices sub Atlantum nomine extra Herculis columnas navigantes, illum omnem Oceanum Atlanticum dixerunt. Quod nomen toti Oceano qui Africam & Asiam alluit tributum est. Sicut ex Strabone patet qui dicit Arabiam felicem usq; Atlanticum pelagus extensam. Itaq; & loco & incolis & mari nobile nomen Atlas dedit. Dum navigant, dum ultro citroque meant, tandem in terras incidunt; unde quicquid in illo Oceano terrarum repertum, Atlantis nomen accepit. De qua divinus Plato in Critia & Timæo ea tradit quæ Americanas origines evidenter aperiunt. Ac ne de ejus fide dubitari possit, Saiticos Ægyptiorum sacerdotes testes producit, qui omnis antiquitatis promi condi fuerunt. Fabulosa quædam, ut in rebus antiquis fieri solet, intermiscentur, sed quæ ipsi rei nihil præjudicant. Qualia sunt, quod tempus hujus facti nimis extendunt supra Deucalionis, imo ipsius Noachi diluvium, unde Opmeerius in Chronologia collegit *Atlantios jam ante diluvium in Americam venisse.* Quemadmodum etiam illa nugatoria sunt,

quæ de Atheniensium contra eos bello, de terræmotu & diluvio quo Atlantis abscripta, de ejus proximè ad fretum Herculeum situ traduntur. Error inde ortus quod plures insulæ id nomen habuerunt, & una quam Plinius nominat, ad fretum Gaditanum; aliæ vero septem, decem stadiorum millibus ab Atlante remota, si Plutarcho fides, quas Canarias fuisse oportet. Id verum manet, extra fretum Atlantidem sitam fuisse, etiamsi usque ad illud protensam crediderint. Sic Diodorus Tritoniam nominat maximam insulam extra continentem Africæ, in qua Atlantes regnarint. Cætera quæ Saites sacerdos tradit, non alii quam Americæ conveniunt. Ait; *alias insulas in Oceano illo Atlantico fuisse.* Quas cum post ingentem Atlantidem locet, manifestum fit situ cum Hispaniola & Cuba convenire. Pergit: ἐκ τῶν νήσων ἐπὶ τὴν καταντικρὺ πᾶσαν ἤπειρον datum transitum. Illa post insulas terra continens, quæ nisi America? Præterea magnitudo Atlantidis Americæ par, quippe major Africa simul & Asia, quod verum, si priscis incognitas partes secernas.

Convenit denique mirabilis casus. Nam utraque ingenti oppressa diluvio dicitur. De quo accuratius agendum est. Sunt enim qui nomen Atlantidis in ipsa quærunt America. Nam Mexicanis *Atl* aqua dicitur. Vnde ipsi

Atlan-

Atlantidem, terram aquis obrutam deducunt. In quo graviter errant: cum Mexicani non ab his Atlantibus orti ſint ſed ex Aſia demum ante aliquot ſecula profecti, ut dicemus poſtea. De Atlantide ita Sacerdotes Ægyptii: *Immani terræmotu; ingentique unius diei ac noctis diluvio ſub vaſto gurgite merſam fuiſſe: hinc mare commeantibus innavigabile factum.* Idem Apulejus innuit: *Orientis regiones Phaëtontis ruina, ut quidam putant, conflagrarunt: in occidentis plagis ſcaturigines quædam ac proluviones eaſdem ſtrages dederunt.* Vbi pulcherrima conſideratio ſe offert quæ magnam lucem veriſſimæ narrationi affundit. Eſt per Americam ingentis memoria diluvii & frequenter ejus barbari meminerunt, cum de ultima antiquitate ſua interrogantur. de quo hactenus quæſitum: ſitne univerſale Noachicum; an particulare illarum regionum, quale Platonicum illud vel Deucalionis? Ac quamvis omnino negari non poſſit, aliquam Noachici diluvii obſcuram memoriam in America ſupereſſe: plura tamen eo ducunt, quod & Acoſta ſtatuit fuiſſe quondam ingenti oppreſſam diluvio Americam vel partem ejus: cujus ad omnem poſteritatem memoria durarit. Nam Scythis Aſiaticis ignotum diluvium, Americanis qui inde orti notiſſimum. Vnde factum ibi & inventum non illatum, conſequitur. Præterea fuiſſe tantum

plana & humilia aquis oppressa inde patet: quia homines in montibus, speluncis, scaphis & arboribus evasisse dicunt. Et ejusmodi particulares quarundam regionũ inundationes diversis temporibus contigerunt, ut in Cimbrica Chersoneso Aristot. ævo. Hoc esse Atlanticũ Platonis diluvium si quis adhuc dubitat, ei locum Petri Martyris expendendum proponimus. Is refert: *Innumerabiles Mexicanum sinus insulas, quae uno nomine Iucaiae dicuntur, cum caeteris majoribus, Aiti, Cuba, Iamaica, Burichena, unam olim continentem fuisse. Ita ex majorum antiquissima traditione ipsos incolas asserere. Labentibus seculis avulsas vi tempestatum, & exiguis fretis divisas in tantum numerum excrevisse. Rem Hispanis quoque credibilem videri: neque de ea multum dubitandum esse.* Eandem submersionem Aitani fabulosa traditione de maris origine innuebant. Quemadmodum & Malabares asserunt: *Innumerabiles Maldivas, quarum supra XICIƆ cognita sunt; olim unam continentem fuisse.* Hæc si cum Atlantico diluvio Platonis conferas, videbis non alibi Atlanticam quam in America ponendam esse. Nam magni cujusdam particularis diluvii in Peruvia quoque manifesta indicia extant; & interior ad Meridiem America tota fere aquis hodieque obruta conspicitur. Nec mirum tale diluvium in ea parte videri debet. Sunt enim ibi

ad

ad diluvium maximum sufficientes causæ, ingentia flumina; terræ motus vehementes, littorum humilitas: montium nivales aquæ. Anno Christi cIↃ IↃ LXXXVI Peruviæ littora ad duo milliaria mari obruta sunt, quod XIV cubitis altius exstabat. Anno ejusdem seculi XL. Contiegæ populus in Canela nivalibus undis deleti sunt. Solus Oronico sufficit ad ingens diluvium. Nam à Majo ad Septembrem XX pedum altitudine ripas superat & omnia obruit. Solis montibus exceptis. Præclarè ut omnia ingeniosissimus Baco Verulamius in libello quem Sermones Fideles inscripsit, capite de vicissitudine rerum: *Si quis*, inquit, *attentè consideret Indorum occidentalium conditionem, reperiet eos populum juniorem esse & recentiorem quam populos orbis veteris. Ac longè verisimilius est desolationem illam, quæ illos olim invaserat, minimè per* Terræ-motus *factam: (contra quam narrabat* Sacerdos Ægyptius, *in colloquio cum* Solone, *de* Insula Atlantide; *eam, scilicet, à* Terræ-motu absorptam esse;) *sed potius per* diluvium particulare. Terræ-motus *enim in illis Regionibus raro eveniunt. Verum, è contraria parte, tam immania plane & vasta habent flumina, ut fluvii* Asiæ, Africæ, *&* Europæ, *præ illis, instar rivulorum sint. Quin &* Andes *ipsorum, sive* Montes, *nostris longe sunt altiores: Vnde credibile est, reliquias stirpis hominum, apud eos, post*

tale diluvium particulare, *conservatas fuisse.* Ita cum & situs & magnitudo & casus mirabilis non alii terræ quam Americæ conveniat, mirum est nonnullos totam narrationem Platonis adeo elevare; & nescio quas allegorias fingere. Vbi non est dubium quin eos ratio plenissimè fugat. Nam Plato exerte dicit, *non se fabulam sed veram historiam narrare.* Et Proclus Marcellum quendam Rerum Æthiopicarum scriptorem citat, qui eandem historiam tanquam veram descripsit. Nec Strabo diversum sentit qui aliàs tam facilis est in explodendis aliorum opinionibus; Crantor quoque primus Platonis interpres, totam narrationem Historicam esse prodidit. Atque ita esse accipiendam Ioh. Serranus eruditè docet. Nam quod ex quibusdam fabulosis, de templo, Neptuno, Clitone, Bello contra Athenienses, totam in dubiũ narrationem vocant, id quam iniquum sit nemo non videt. Cum prisci, ut omnis antiquitas fabulosa est, etiam maximè vera tali fabularũ pigmento sæpè incrustent. Ita igitur Atlantidis res veræ aliquid falsi longinquitate temporis & tradentium culpa contraxerunt. Nec mirum priscos Interpretes Platonis, quales Proclus, Porphyrius, Origenes, ita judicasse: quorum in eam rem sententias Sebastianus Foxius Morzillus Hispalensis fusè recenset. Marsilius Ficinus quoque excusandus: qui re-
ctè

ctè animadvertens abſurdam eſſe allegoricam Interpretationem, anagogicam finxit non multo felicius. Tempori hoc condonandum: quo extra Thulen & Fortunatas immenſus & ſine terris Oceanus, Tenebris perpetuis merſus & inmeabilis putatus fuit, ac Antipodes deriſi. Sic Atlantis America eſt. Sed Comtæi obſervatio futilis & inepta, qui Plinium lib. v. cap. 1. ſub nomine Atlantis montis Americam deſcribere putat. Quod eſt omnia confundere, & Americam in Africa locare.

CAP. VII.

Secundus in Americam Phœnicum adventus. Qui ingentem in Oceano Atlantico inſulam detexerunt eamque frequentarunt & habitarunt. Illa vel Hiſpaniola, vel Braſilia eſſe putatur.

SEcundus adventus Phœnicum in Americam continetur illis priſcorum ſcriptorum narrationibus quibus navigantes in Atlantico Mari novas detexiſſe terras referunt. Quod Diodorus ventis & tempeſtatibus adſcribit: cujus verba rem mirificè illuſtrant. Dicit enim: *Phœnices vetuſtiſſimis temporibus extra columnas Herculis navigantes ingentibus ventorum procellis ad longinquos Oceani tractus fuiſſe abreptos ac multis diebus vi tempeſtatis jactatos tandem ad ingentem Inſulam in Oceano Atlantico, complurium dierum navigatione à Lybia in occaſum remotam*

motam venisse. Cujus solum frugiferum; amnes navigabiles, sumtuosa ædificia fuerint. Inde Carthaginenses & Tyrrhenos harum terrarum notitiam accepisse. Quibus verbis nihil clarius esse potest. Nam & notam fuisse priscis Americam; & Phœnices in eam navigasse ostendunt. Quæ enim illa ingens Atlantici Maris insula complurium dierum navigatione à Lybia in occasum remota? Tum cultam jam fuisse ante hunc adv. Phœnicum, sumtuosa ædificia quæ reperunt, indicio esse possunt. Addit Diodorus: *Postea Carthaginenses cum sæpe à Tyriis & Mauritanis bello premerentur, Gadibus præternavigatis & Atlantico provectos Oceano tandem ad novas has regiones appulisse & coloniam duxisse; eamque rem diu tacitam servasse ut si rursum sedibus ejicerentur haberent locum in quem se cum suis reciperent.*

Et hæc navigatio tam celebris fuit ut complures Carthaginensium familiæ eo habitatum iverint: & Tyrrheni coloniam eo destinarint; nisi à Carthaginensibus impediti fuissent. Alii rem paulo aliter narrant. *Repertam à Carthaginensibus fortuito insulam: & in eam injussu Magistratus commigraße plurimos: quod diffluente paulatim populo cœperit postea capitale eße.* Quænam hæc insula fuerit dissentiunt authores. Complurium opinio est Hispaniolam fuisse. Aliis longius hæc remota videtur, nec probabile Pœnos crebro tam longinquam navigationem

tionem suscepisse. Non desunt qui opinentur Pœnos in Brasiliam navigasse ac ab illis Barbaros deducunt, quæ sententia Emmanuelis de Moraes libro decimo Historię Brasiliensis nondum editæ. Sane facilius in Brasiliam quam ullam aliam regionem tempestatibus ejici potuerunt dum in Africa circumnaviganda occupantur. Simili casu Capralis eam Americæ partem detexit non quidem tempestate ejectus, sed quod Africæ oram vitans, in novas illas terras incideret. Quid mirum si idem Carthaginensibus acciderit? & casu vel studio repertam regionem coloniis frequentarint? Nam libero commeantes mari sæpiusque adeundo cæteris incognitas terras, elegisse sedes juventuti qua abundabant, probabile etiam Curtio videtur. Atque huc Comtæus illud Plinii refert: *Phœnices extra orbem Gades condidisse.* Vbi Americam intelligi vult & Phœnicum in ea colonias, plane contra mentem authoris, qui Gades Hispanicas extra orbem, id est fretum Herculeum & veteris orbis terminos sitas, designat. Hæc igitur quæ de Carthaginensium navigationibus traduntur, supinam eorum negligentiam satis redarguunt, qui nullam apud antiquos mentionem ullius in has partes navigationis extare dicunt, quod Acosta & Lescarbotus facit.

CAP.

CAP. VIII.

Tertius Phœnicum in Americam adventus. Salomoni nota America. In eam suas & Tyrias naves misit. Per mediterraneum mare. Eziongeber & Tarsis ubi. Idumææ fines. Iosephus defensus. Parvajim an America. Peruviæ nomen recens. Pererii argumenta refelluntur. Et Kircheri. Ophir in Monomotapa. Fura & Afura. Fodinæ mirabiles in Aiti.

PRæter has Pœnorum & Carthaginensium navigationes in Americam, extat adhuc alia Phœnicum non ex Africa sed ipsa Phœnicia: cujus prima fit mentio circa Salomonis ævum. Atque hic nobis tertius sit Phœnicum in Americam adventus. Cum immensa fuerit Sapientia Salomonis, necesse omnino est ut magnæ illius terrarum partis non fuerit ignarus, quæ tot miraculorum ferax est. Sive igitur ex Erythræo, sive Mediterraneo mari solverit ejus classis, Americam, præsertim trienni navigatione, petere potuit. Quanquam sententia Goropii Becani & Fr. Bivarii non omni fundamento careat, statuentium factam illam navigationem per mediterraneum Mare, non vero quod communiter putant, Sinum Rubrum. Quia & Tharsis & Tyrus & Aziongeber ad Mediterraneum: nec Tyria classis ex sinu Arabico solvere potuit, cum qua iverunt Salomonis naves. Nam Hiram non classiarios

tantum,

tantum, sed & classem Salomoni suppeditavit. Nec Eziongeber cujus Moses meminit ad littus Maris Rubri: sed interius prope Cades: cum Israëlitæ semel tantum ad mare illud fuerint: neque eadem cum illa unde classis solvit: quippe illa unde classis solvit in Idumæa sita: quę non attingit Rubrum sed mediterraneum Mare, sicut ex Ptolemæo patet. Et in Idumæa secus mediterraneum Mare Gastion Gaber vel Gabriæ est, apud Strabonem; Ptolemæo Beto Gabriæ, cui vicina Eluth penultima Idumææ civitas. Suph, quoque, cum terminum quemvis notet; non Erythræo tantum mari, quanquam huic frequentius; verum etiam Mortuo & Mediterraneo tribuitur. De Tarsis mirum est adeo hæsitare doctos., cum Tartessus Hispaniæ regio celeberrima & priscorum navibus multum frequentata ob auri copiam sit. Igitur non in genere quamlibet regionem longe dissitam, nec quodlibet mare notat, sed Hispaniam Ciliciam, & totum Mediterraneum mare. Quemadmodum illud hodie Arabes Damascenum ab urbe & regione vocant. Ionas clare dicit quod ex Ioppe in Tarsis navigatum fuerit. Igitur Tarsis ad Mediterraneum mare Porro navigare in Ophir & in Tarsis unum idemque est; sicut ex II. Reg. XXII collato cum II. Chron. XX. patet. Hæc inquā argumenta faciunt, ut Salomonis, Hirami

mi & Iosaphati naves per mediterraneum mare in Ophir & Tarsis navigare potuerint, & hinc in ipsam, quod triennium suadet, Americam. Quibus hæc sententia displicet toti in eo sunt ut probent Ezion Geber & Eloth fuisse ad mare rubrum, quia sitæ in Idumæa, quæ olim eo usque extensa. Sed cum æque mediterraneum attigerit, nihil efficiunt. Deinde falsum est unquam terminos Idumææ ad mare rubrum productos. Tempore Mosis Madianitæ littoralem illum tractum accolebant, postea Troglodytæ. Idumæi interiores. Iosephus manifeste Eziongeber apud Berenicen, id est mare mediterraneum ponit. Frustra is erroris insimulatur vel culpa in librarios rejicitur. Ad hæc omnia accedit quod Tyrium regnum longe à rubro mari & ad mediterraneum situm fuerit. Quomodo ergo Hiromus naves suas per Arabicum sinum emisit? Nam Fulleri commentum nulla ratione nititur: *Salomonem ab Hiromo nautas petiisse. Horum Phœnicum coloniam pro Indica mercatura Aziongebra & Elani constitutam.* Sed utcumque se hæc res habeat, sive per Arabicum Sinum sive per mediterraneum mare navigarint, in Americam venire potuerunt quod Vatablo & Ariæ Montano visum. Et hic quidem ex vocabulo פרוים *Parvajim* argumentum petit, quo utramque Americam septentrionalem & meridio-

ridionalem designari putat, conjectura plane futili. Nam Peruviæ nomen recens & ab Hispanis demum inventum, quod à Biru piscatoris vel rivi nomine, non intellecto deduxerunt, sicut Garcilasso de la Vega testatur. Verum ejus nomen Tahuantinsuyo fuit, quo quatuor mundi cardines designabant. Argumenta quæ Pererius contra Vatablum & Ariam affert levioris momenti sunt quam ut propterea Tyrii & Israëlitæ America prohibendi sint. Putat propiorem ex Mediterraneo navigationem fuisse. Quasi breviora semper & non tutiora interdum itinera sequeremur. Porro Mediterraneum Mare illa ætate infestum piratis fuit & in Cretensium, Rhodiorum, Tyrrhenorum, Carthaginensium ac Hispanorum potestate. Præterea quid pro navigatione per mediterraneum afferri possit dictum est. Elefantos & pavos fateor in America non esse. De simiis & cercopithecis fallitur Pererius. Nam ferocissimos in Dariene & Terra firma Martyr testatur. Nec putandũ est omnes merces quas illa classis attulit, ex una regione petitas. Quod æque absurdum est ac si quis concludat Belgicam classem non navigare in Brasiliam, quia ebur & alia affert quibus illa regio destituitur. Nam merces ex variis regionibus variæ à mercatoribus petuntur. Ita cum Africa fuerit prænavigandae dives eboris & pavorum; inde

hæc petita & cum Americano auro reportata dicere in promptu eſt. Tum notam fuiſſe Phœnicibus ex mari Erythræo circa Africam uſque ad Gades navigationem Herodotus teſtatur, qui tradit: *Neconem Ægypti Regem opera Phœnicum ex mari Rubro omnem Africæ continentem uſque ait Gaditanum fretum & inde in Ægyptum exploraſſe.* Kircherus multo ineptioribus argumentis navigationem Salomonis ad Indiam Orientalem reſtringit. Hoc enim clarè docere onomaſticon Copto-Arabicum ubi هند Hend explicetur Ophir. Aurum Parvaim fuiſſe ex יאוים Iavaim hoc eſt Iavis inſulis. Ita enim eas à Rabbinis vocari. Quæ nugæ febriculoſæ ſunt.

Igitur nihil obſtat quo minus in ipſam Americam Hiromi & Salomonis claſſes auriferæ potuerint excurrere; quod ſuadent, tum triennium quo peracta, tum ingens auri ſumma quæ allata. Enavigato ſinu Arabico, ſi ex illo navigationem inſtituerunt flexa in occidentem claſſe, juxta littus Africæ Monomotapam advecti ſunt. Quem locum eſſe Terram Ophir, Barros, Lopez, Santos non abſque firmis rationibus ſtatuunt. Iohannis dos Santos in Æthiopia Orientali verba hæc ſunt: *In Monomotapa apud Maſſapam mons eſt nomine Fura* ſive Afura, *apud quem dites auri fodinæ ſunt. In cacumine ejus rudera antiqui ex lapide ædificii, quale non alibi*

alibi in tota Cafraria conſpicitur. Incolæ tradunt eas ædes fuiſſe reginæ Sabæ & hanc Terram ſive Afuram eſſe Salomonis Ophir. Ibidem ſunt præſtantia ligna & pavones. Navigatio potuit triennis eſſe ob ruditatem ejus ævi & pigritiam Cafrorum. Hæc Santos. Ad quæ Purchaſius: *Crederem* inquit *his argumentis niſi Moſes Ophir in Orientali India collocaret.* Quod falſum; & oſtendunt eruditi Ioktanitas omnes in Arabia & vicinis ei regionibus conſediſſe. Et Ophir ac Tharſis quamvis longe diſſitam regionem Hebræorum phraſi ſignificant. Vt fruſtra certæ regioni ſive illa in India ſit ſive Africa, adſtringatur, Acoſta fatente: nam omnibus illis locis accommodari poteſt. Repertæ etiam in Aiti mirabiles fodinæ, ex quibus aurum à Salomonis claſſe petitum Columbus judicavit. De illis in navigation. Columbi ita ſcribitur: *Barthol. Columbus in Hiſpaniola invenit ſpecus altiſsimos & vetuſtiſsimos, unde ajunt Salomonem aurum ſuum eruiſſe. Hæc aurifodina protendebatur ultra milliaria* XVI. Hæc ille. Ingens omnino argumentum, gentes olim eam inſulam acceſſiſſe metallicas, quales ab omni ævo Phœnices & Hiſpani fuerunt. Nam illæ fodinæ, non ab Aitanis, quales reperti, quos metallicæ rei penitus ignaros fuiſſe, & venas in terræ viſceribus ignoraſſe, conſtat. Aurum ex rivis ſublegebant. In ejuſmodi fodinis relictos à Salo-

mone Phœnices qui aurum & materiam navibus onerandis præpararent communi gentium more probatur. A quibus postea desertis ibi vel sponte manentibus, gentes aliquot oriri mixtione cum barbaris facta, potuerunt. Quemadmodum Bomferrus teste Maffeio Peguenses ab his ortos contendit, secutus Lusitanorum opinionem, Ophiram in Oriente tante ponentium.

CAP. IX.

Phœnicum coloniæ in mari Atlantico. Canariæ veterum Fortunatæ. Numeri Ptolemaici fallaces. Canariæ non à canibus sed Chananæis dictæ. Cerne ubi. Mar de Sargasso. Gomera ab Amoræis. Dyris. Lingua Guanchum qualis. Ejus aliquot vocabula. Antiquitates Guanchum. Gigantes. Canarii olim cultiores. Postea ignis usum amiserunt. Ut & Sinenses quidam insulani.

ET hæc in universum de triplici Phœnicum in Americam navigatione. Nunc quas in illo Mari Atlantico terras adierint, ubi nominis sui memoriam, ubi sedes posuerint, dicendum restat. Primæ extra Gades navigantibus Fortunatæ, Hesperides & Cassiterides occurrebant. Ad omnes Phœnicum classes appulisse, prisci docent. Fortunatæ cum illis quas Canarias dicimus eædem sunt. Quod ex numero & nominibus patet. Septem enim sunt, quanquam nautæ illi qui ex Atlantico

Oceano

Oceano ad Sertorium venērunt, non nisi duarum meminerint easque à continenti Africæ x cIↄ passſ. remotas. Sed non constant sibi antiqui in locis extra Gades, ut ex Plinii narrationibus de fortunatis patet. Ita nec obstat latitudinem apud Ptolemæum potius Insulis promontorii viridis competere. Nam numeris ejus in remotissimis locis fidendum non est. Quantum in Germania, quæ propior, peccarit, Rhenus testimonio esse potest, cujus ostia duobus integris gradibus loco movit & ad LIV posuit, ubi hodie Albis maria subit. Igitur Canariæ non à magnis illis canibus, quos in earum maxima repertos Iuba tradit, sed à Cananæis dictæ sunt, levi literæ N in R. mutatione, quemadmodum Nebucadnezare Nebucadrezar, Nisbon & Nisbor promiscue dicimus. Qua voce Latini turpiter, ut in aliis, decepti sunt, Canes ex Cananæis & Canaris facientes. Cujus rei certissimum argumentum est; quod cum fortunatæ ultimo detegerentur, nulli canes ibi reperti, Gomara teste. Quis credat extinctos interea temporis omnes vel aliò translatos? Falsum igitur quod Latini de canibus tradiderunt, secuti Iubam authorem haud semel vanitatis manifestum; & nomen à Cananæis deductum est. Quæ Scylax Cariandenus commode illustrat: Phœnices enim dicit *extra Herculis columnas in*

Cernen; *ac inde in oppositum continentem Æthiopiæ crebro navigasse.* Vbi quæ sit illa Cerne diu quærendum non est; multo minus cum Strabone reprehendendus Eratosthenes quod talem insulam extra fretum Herculeum collocarit. Nam ejus locum tam accurate signavit author; ut alia esse non possit quam ex Fortunatis una. Dicit enim *ultra Cernen innavigabilem Oceanum esse propter herbarum & algæ supernatantis copiam.* Id quod Christ. Colon, deinde Lusitani verissimum esse deprehenderunt. Nam à gr. x x ad x x x i v. circiter c c c. c I). passuum ab Africa totus Oceanus ita gramine contectus est, ut in eo campi & Insulæ videantur natare, & vi perrumpendum navigantibus sit. Quod *Mar de Sargasso* Lusitani vocant. Quoniam igitur extra Cernem talis Oceanus, necessario ipsa inter gr. xx & xxxiv sita erit, Mare de Sargasso & Africę continentem. Quo spatio non aliæ continentur insulæ quam Madera & Canariæ septem cum aliquot aris & scopulis incultis. Vnam igitur ex his Cernen esse oportet. De Madera, falsum, quia ab omni ævo inculta. Restat Canariam fuisse: quod nomen ita in Cernen corruptum à Græcis & detortum videtur, quemadmodum ex Atargete Derceten fecerunt. Nam Plinius vel errat de situ Cernes, vel duæ hujus nominis insulæ fuerunt. Ipse enim eam contra sinum Persicum

& ex adverſo Æthiopiæ locat ubi hodie Madagaſcar eſt. Rectius alibi ex Polybio in extrema Mauritania contra montem Atlantem.

Quemadmodum igitur à Cananæis dicta eſt Canaria, ſic ab Amoræis Gomera. Quod longe probabilius, quam ſi hoc nomen cum Fr. Bivario & Nebriſſenſi deducas à Gomer Japheti filio. Nam conſediſſe in Mauritania Amoræos dictum: unde in has inſulas brevis trajectus. Sicut ut Gomeræ Teldæ & Ayatirmæ nomina ex Mauritania petita eſſe Gomara obſervat. Et de *Ayatirma* altiſſimo Teneriſæ monte locuples teſtis Strabo eſt, qui decimo ſeptimo libro tradit, *Dyrim ab indigenis Mauritanis appellari eum montem qui Græcis Atlas dicitur.* Vnde Dyrma & vocula adjecta Ayatirma. Vt nihil certius ſit quam Canarios ex Africa profectos. Nam lingua Guanchum, qui hodieque Hiſpanis permixti ſuperſunt in oppido Candelaria, admodum affinis eſt Maurorum in Barbaria. Ita teſtantur qui res Iohannis Bethencourtii primi Fortunatarum Regis ſcripſerunt. Superſunt quædam vocabula ex quibus judicari poteſt. Deum vocabant *Achuharahan* termaximum, *Achuhucanan* altiſſimum, *Achguayaxerax* conſervatorem omnium rerum. *Echeyde* infernus. *Tomarco* veſtis ex pelle agnina. *Mozan* frumenti genus quo pro pane utebantur. *Yoya* ſuccus. *Chacer-*

quem mel ex Yoya. *Adexe* Rex, *Guayota* diabolus. Quam diu inhabitarint illas insulas exinde fieri conjectura potest quod antiquitates suas ex cadaveribus quæ adhuc supererant incorrupta supra mille annos extenderint. Gigantes quoque in iis incredibili magnitudine, quorum unius ossa in sepulcro Regis Guymur qui ex ejus posteritate, reperta sunt, longitudine pedum quindecim. Vnde Guancharum nomen acceperint haud dictu facile, saltem haud multum ab Anakim abludit. Et aliam olim, id est cultiorem Canariarum faciem fuisse hoc argumento est, quod oppidorum ac ædificiorum ruinæ adhuc Plinii & Solini ævo extiterint. Sane Pindarus Saturni urbem in Fortunatis collocat Olymp. Ode secunda, sive poëtica licentia, sive quod revera talis tum exstaret. Cumque Plinii & Iubæ ævo desertæ jacuerint, exinde Latius colligit, *insulares illos alio profectos & forte in Americam.* Id certum est, tandem omnia ita in barbariem degenerasse ut etiam ignis usum ac notitiam amiserint. Hoc cultis quoque gentibus quandoque contingere alia exempla docent. Est apud Sinam insula *los Iardenas* cujus incolæ à Sinensibus originem traxisse putantur, qui non minus ac Canarii ignem ignorarunt, teste Purchasio. Cæterum Phœnicibus assertas Fortunatas qui videre prolixius vult, Marianam in Hispanicis

consu-

consulat. Sub primum Hispanorum adventum circa A. Ch. cIↄ cccc populosissimæ fuerunt, adeo ut in sola Tenerifa incolarum ad quindecim millia & novem Duces numerarentur.

CAP. X.

Cassiterides. Sunt non Gorgades sed Azores. Lescarboti ineptiæ. Phœnicum in eas navigationes. Quas clam habuerunt. Incolæ Cassiteridum in Americam navigarunt: Madannina, Guacane, Aiti, unde dictæ. America priscis nota. Phœnicum nomen in America frequens. Mosk sive Pankunnavv. Gigantes in America. Alii à Chichimecis. Magellanicorum vocabula. Aitani Hebræos & Arabes pronunciatione sua referunt. Eorum lingua fere periit. Comtæi error. Nomina locorum Phœnicia apud Americanos. Guanchæ. Cannares. Darien. Kar. Nomina fluviorum in Beer & Nahar. Beragua. Ciorotegani sunt Carthaginenses. Canibales & Caribes Pœni. Lingua Punica apud Aitanos & Isthmicos. Cynato. Guaibba. Majani. Ciba. Boa. Macana. Gua. Apud Iucatanos. Cin Capa. Conez Cotoche. Voces Phœnicibus incognitæ. Guacca. Iarima. Cn. Attabeira. Areiti, Anacauna, Caizcimu. Amaca. Casiqua. Chebi. Tiba. Mumu. Tectetan.

POst Fortunatas Cassiterides sequuntur, quas Comtæus pro Hesperidum insulis & Gorgadibus accipit, ex male intellectis Dionysii Periergetæ verbis. Νῆσοι δ' Ἑσπερίδες, τόθι κασσιτέροιο γενέθλη. Hesperidas hic accipit γενικῶς pro insulis occidentalibus, quo sensu etiam

Caſſiterides ac Fortunatæ ſunt Heſperides? Et Strabo vel leviter inſpectus omnem dubitationem tollit. Dicit ille ad Aquilonem Hiſpaniæ Caſſiteridas ſitas. Quod de Heſperidibus falſiſſimum, verum ſi Azores intelligantur. Quanquam fatendum ſit antiquos illas inſulas ſæpe confundere, quemadmodum Pindarus in Pythiis, Ode decima Hyperboreos in Gorgadibus habitare ſcribit, eaſque pro Fortunatis accipit. Leſcarbotus denuo inſcitiæ ſuæ ſpecimen exhibet dum Heſperides plane in Americam transfert, cujus hæc ſunt verba: *Concludo Heſperides haud alias eſſe quam Cubam, Hiſpaniolam & vicinas alias in freto Mexicano. Herculem ibi fuiſſe haud alienum fuerit ab ejus virtute.* Quæ perabſurda ſunt. Navigatum à Phœnicibus in Caſſiterides Strabo libro tertio docet cujus verba memorabilia ſunt. Nam & qui earum incolæ tum temporis fuerint, & unde orti & quantum Phœnicibus in ſea navigatione ſitum fuerit, exinde colligitur. Incolas ex Hiſpanis ortos ſimilitudo morum docet. Nam *vagos, barba in morem hircorum, veſtitu atro, togis ad talos demiſſis fuiſſe & cum baculis ambulaſſe.* Quæ omnia Hiſpanis Athenæus tribuit. Porro *Phœnices primis temporibus ſolos in eas navigaſſe, & celaſſe alios hanc rem diligenter, donec P. Craſſus poſt crebram inquiſitionem eas detegeret Romanis. Ipſos Caſſiteridum incolas*

pacis

pacis studiosos & maritimis omnino deditos actionibus fuisse. Itaque & in Fortunatas & Cassiterides frequenter navigantibus, non potuit occulta manere America. Et Cassiterides, adeo navigationibus dediti, quo potius quam in Americam navigarint dici non potest. Quinimo omnes vel metu Romanorum vel pacis studio in Americam navigasse, insuperabili argumento colligimus. Quippe cum superioribus seculis primo à Flandris; deinde Lusitanis detegerentur, incultæ omnino fueruut. Atqui adhuc Strabonis ævo cultæ omnes una excepta. Igitur alio migrarunt: nec fugientibus turbas Europæas & Africanas alia commodior terra quam America. His in eo Oceano Lucaiones insulæ, olim una continens, proximæ sunt. Ad quas Phœnices venisse *Madannina* & *Guacane* docent. Quarum illa, ut videtur à Madiannæis: hæc à Chananæis dicta. Nam Chanaan etiam *Chna* contracte dictus; unde cum articulo *Guacana*. Ex Madannina in Aitam & vicinas insulas ventum. Vbi *Cahonao* dicitur illa regio ad quam Matinoënses primas sedes posuerunt. Et in Huhabo *Canabacoa* est. Ipsum gentis Aitanæ nomen ab Hettæis mihi ductum videtur. *Aiti* asperum notat & terrificum. Idem חֵת & חִתָּה, unde Chittæi denominati.

Ex his insulis in ipsam continentem Ame-

ricæ

ricæ Phœnices trajecerunt. Atque hoc eſt quod Plato dicit : *ex Atlantica inſula perveniri ad alias proximas : hinc ad oppoſitam continentem.* Quam Plutarchus libro de facie in orbe Lunæ μεγάλην ἤπειρον ultra Atlanticas inſulas vocat; & Theopompus apud Ælianum immenſo ſpatio extendi vult. Vt nemo imposterum dubitare debeat, quin nota priſcis America fuerit, tam clare ſitum ejus deſcribunt, extra fretum Herculis, in Oceano Atlantico, Occidentem verſus multorum dierum navigatione, immenſa magnitudine. Phœnicum nomen multis in locis frequens; & falſum eſt, quod Martyr dicit : *à Panuco rege, qui tempore Corteſii vixit, regionem illam nomen tuliſſe.* Rectius alibi, *à Panuco flumine & regnum & regem nomen tuliſſe* dicit. Certius adhuc eſt à Pœnis & regionem & flumen nominatum. Nec aliunde *Panama* Iſthmi, *Puna* Peruviæ & *Bunigando* dictæ, quam à Pœnis qui & Puni. Sic *Pinoles* Novæ Hiſpaniæ antiquiſſimus populus Herrera teſte. Quibus antiquitate ac ſedibus proximi *Mazateca*, vel *Maſſageta* Scytharum, vel *Mazaces* Afri una cum Pœnis in Americam delati. Et inter Chichimecas *Pa-nues* Pœni ſunt. *Guamares* in Xaliſco Amoræa propago. Ex Panuco pars Phœnicum in eas regiones, quæ nunc Nova Anglia, venerunt. Quod exinde patet : quia originem ſuam ab

Euro-

Euronoto constanter ducunt. Ibi animas majorum, ibi suas post obitum: ibi magnum gentis Deum *Kautantovvit* degere credunt. Ergo quia & majores & Deos suos ex illa plaga deducunt, inde proculdubio exorti sunt. Punicam originem hoc innuere videtur, quia clarissimos Septentriones *Mosk* sive *Pankunnavv*; id est ursam vocant, Rogero Guilielmo vehementer & jure mirante. Quanquam is à Græcis hoc fluxisse putet. Sed Græci astronomiam & stellarum formas atque nomina Phœnicibus debere nemo dubitat. Ac ne quis obtendat multos in America gigantes immani corporum magnitudine fuisse, nemo ignorat eosdem in Chananæa Anakæorum nomine percelebres fuisse. Reperti Gigantes in Nova Hispania circa Tlascalam & in Iucatana: inde in Peruviam transfretantes, circa Mantam & Tumbez consederunt. Quæ causa cur Indi ex transmarinis regionibus eos venisse dixerint. A culta gente originem traxisse indicio sunt moles & magnifica ædificia quæ passim erexerunt. De quibus ita Acosta: *Ajunt Peruani illos gigantes venisse per mare, bellum intulisse indigenis & superba ædificia construxisse. Monstrant hodieque puteum ex lapidibus magni pretii. Dicunt præterea illos ob enormia flagitia, igne cœlesti concrematos.* Quod vero Latius gigantes hos Chichimecas fuisse & non mari

sed

ſed per Iſthmum ex Mexicana in Peruviam veniſſe arbitratur, id cum Acoſtæ relationibus non convenit. Chichimecæ homines rudiſſimi & incultiſſimi. At hi, ut dictum, belli paciſque artium periti, & ædificia, rem Chichimecis incognitam, extruxêre. Nec degeneraſſe dici poteſt, cum penitus deleti perhibeantur. Admodum ſane probabile eſt, Anakæorum propaginem fuiſſe, & cum reliquis Chananæis in Americam, quocunque tandem caſu, veniſſe. Nam & nomen hoc in auſtrali America frequens. *Cajana* Caribanæ vicina nomen Chananæorum refert, nec quicquam mutatum niſi quod extrita inter pronunciandum, propter concurſum duarum vocalium, litera Nun. Sic *Cana* fluvius apud Ioſuam: quo Kenæi quoque pertinent. *Canapei* Granadæ, *Canapot* Carthagenæ, *Cannares* Peruviæ, à Cananæis omnes orti. Quæ poſtrema gens, ſi Latinis de nomine ſaltem innotuiſſet, proculdubio rurſus à canibus eam deduxiſſent: ſicut in Canariis acumen oſtenderunt. Atqui Cannares & Canarii iidem: nimirum à Cananæis. *Guanches* incolæ Canariarum. In Peruviæ Xauxa & Andabaila ejuſdem nominis *Guanches* habes. Apud Cannares *Caxamalca* Ingarum regia. Nec Tyri nomen incognitum. Cujus licet Homerus non meminerit: diu tamen ante ejus ætatem ab Agenore ſtructa, &

urbs

urbs munita Iosuæ temporibus fuit. In America *Darienem* habemus : quo nomine duplex Provincia, una in Aiti, altera in Isthmo Panamæ insignitur. Fluvius quoque *Tirecotus* in Aiti. *Tirroh* Iucatanis Provincia; Nicaraguæ *Dirian* : & ei opposita Pacifici Maris insula *Tararequi*. Popajan *Polindaram* habet. Usitatum Phœnicibus urbes suas *Kar*, *Kir*, *Karja* vocare. Nota *Carchemisch*, *Kir*, *Karthan*, *Kirjath Arba*. Cujusmodi plures Ptolemæus in Africa refert, ut *Caragam*, *Charbasam*, *Curobin*, *Cartennam, Carepulam*, & quæ primo loco dicenda fuisset *Carthaginem*. Sic *Cyrene*, *Cirtha* & Hispaniæ *Carteja*. Cujus vocis nisi clarissima extaret memoria, dubitari vehementer posset an ulli unquam Phœnices in Americam venerint. Nunc tot exstantibus exemplis ne locus quidem dubitandi relictus est. Quam Hispani Venezuelam vocant, indigenis *Coro* dicitur. *Caranaca* Pariæ fluvius & forte olim cognominis urbs, parum abest quin ipsam Carthaginem nobis ostendat. Quæ vero nomine *Chedraneach* & usitatius *Karaneach* dicta, id est civitas Anakim. Cumanæ lacus & insula *Curacao*; & vicina Provincia *Caraca*. Voce expressa ex Minoris Africæ oppido *Caraga* cujus Ptolemæus meminit. Sequuntur eodem ordine *Coromochos*, *Carora*, Trinitatis Insula *Cairi*. In ea Provinciæ *Camucara*, *Carao*, *Car-*

japan,

japan, *Carinepagotes*, *Carona*. Insula Maranon pagos *Carnaupiop*, *Caranæuve*, & in ipso flumine *Carapam* ostendit. In Caribana *Caripo*. Quasi Curobin dicas, quæ Carthagini vicina, Saracenorum tempore, Kairavvanæ nomine & Califatus sede imprimis claruit. Vel *Carepulam* Mauritaniæ. Borriquen *Cairabonam* habet. Sequuntur in eodem homiedonum littore *Coarien*, *Corpecari*, *Corpap*, *Carripora*: Tot ejusdem tractus loca, insulas, oppida, Punicum Kar, quod ipsis frequentissimum, præferre: si quis nihil pro Punica origine facere putat: is eadem opera tot Africæ opidis Phœniciam originem invideat. Sunt & ad Cartagenam insulæ *Caramairi*, *Carex*, *Codego*. Quarum illa Amoræos quoque ostendit. *Codego* nomen insulæ *Coton* exprimit: quæ objecta Carthaginensi portui fuit. Quemadmodum igitur oppida sua Kar Americani: sic flumina *Beer* & *Nahar* quod eos non minus Pœnis vindicat. In Cajana habes fluvios *Manmanury* & *Cassanar* qui in magnum Oronicona se præcipitat. *Oinare* Venezuelam irrigat. Quæ non minus Punicam originem ostendunt quam *Naharmalca* Babylonicam. Quibus *Casnero* & *Akaniri* in Emeria addi possent, nisi Rhalegi fides, unde hæc petuntur, sublesta esset. Certiora sunt *Beragua* Guatimalæ, *Pira* & *Guatapori* S. Marthæ flumina. *Beragua* Indis aureum flumen

flumen notat teste Martyre Anglerio. Vbi *Ber* de flumine explicatur; quod ante dictum, Punicam originem ostendere. Cubæ celeberrima urbs *Abana* : & ei opposita insula ad El Iardin del Rey, *Obabava.* Quarum originem qui quærit, is Phœniciam urbem Havam cogitet: unde non longe distat Abana Damasci fluvius. Montes inter VViapoco & Cajana *Cillicedemo* vocantur. Proculdubio Phœnicum voce, quod Orientem versus protensi essent. *Arabam* in Iosua habes. Vnde Insula *Aruba* Maracapanæ vicina. In Nicaragua primus & antiquissimus populus *Ciorotegani.* Vt diutius Cartaginensium nomen in America quærendum non sit : nam inventum est. Iis vicini *Coribicani.* Sicut Carthagini Curubis. *Canibales* nihil vetat à Punica voce deducere. Nam & alterum ipsorum nomen, *Caribes*, quod fortem & asperum notat, ab illa origine. Notum Cananæorum gentem Raphæos fuisse. Vnde cum augmento Caribes. Nam & *Rapha* notat hominem tremendum & fortissimum, & *Careb* prœlium est. Vnde *Caribes* populi bello asperi & fortes. Quod Canibales Punica voce, quæ gratiosos Dominos notat, voluisse à victis ob metum appellari, non videtur ab ipsorum natura & moribus alienum. Nam eadem clarissimæ Annibalum familiæ nomen apud Pœnos dedit. Sicut &

in Idumæa Baalchanunes fuerunt. Cumque plura Punica in illo littorali tractu occurrant, quid vetat quominus etiam hæc iis restituatur. Nam testatur Herrera, *Canibal* lingua Caribum significare virum fortem, quæ nominis explicatio accurate Phœnicium *Bal* & *Hanun* exprimit. In Aitanorum & Isthmicorum lingua manifesta extant indicia Punicæ originis. *Cynato* iratus, est ipsissimum קנאה quod vehementem indignationem, Zelotypiam & vindictæ studium significat. *Guaibba* vade. *Machabuca* quid ad me. *Majani* nihil. *Ciba* Saxum. *Copei* bitumen & arbor eã fundens. *Canoa* navis, *Guazzavara* certamen hostile. *Boa* domus. *Macana* gladius, *Gua* demonstrativus articulus. Hæc omnia apud Martyrem extant, & reliquiæ sunt linguæ qua insulares illi Americani olim usi. Quibus hæc addantur: *Teitoca* esto quietus. *Techeta Cynato guamechina* Dominus multum irascetur. Quæ omnia Punicam linguam quam proxime referunt. *Guaibba* à בוא si præponas articulum. *Machabuca* compositum ex מה & בי & ך: unde malim explicare *quid ad te*. Copei à כפר. *Majani* est מאין vel מאן quod renuere & nolle significat. *Ciba* ipsissimum כיפא. *Canoa* idem quod אניה, quale navigii genus Vrabensibus *Culcha* vel *Vru*. *Boa* ad בית revocandum, pro quo Syri & Arabes per Apocopen dicunt בֵּי, *Bai*, quod propius ad Aitanum

Boa

Boa accedit. *Macana* ex מכרה, R in N mutató quod frequentiſſimum, ſicut & in Nova Anglia promiſcuè dicunt *Ayum*, *Alum*, *Arum* & *Anum* teſte Rogero VVilhelmio. Articulum illum Gua, quo creberrimè utuntur, Phœnicium ה & ſignificatione & ſono & uſu eſt, niſi quod eum Americani etiam propriis nominibus præfigunt, obliti, ut videtur, regularum Grammatices. Sic *Anatan* & *Natan*, *Habacoa* & *Bacoa*, *Cuzamil* & *Acuzamil*, *Culvacan* & *Haculvacan* apud Martyrem promiſcuè habes. Hujus articuli uſus à Xaliſco uſque ad fretum Magellanicum deprehenditur. In Virginia, Nova Francia & univerſo illo tractu nunquam occurrit. In Mexicana non niſi rarius. At apud Iucatanos quam evidens ex pauciſſimis illis quæ ſuperſunt, Phœnicum lingua? *Ciu Cana* quomodo vocaris. Ki Arabibus vox dubitandi eſt, num, an, vel etiam quia, quoniam, ſignificat. כנה eſt nominavit, ut interrogarint Iucatanenſes: *an nomen habes? Concz cotoche*, venite in domum meam Phœnicium. כנס eſt colligere, convenire, congregari. Cotoch pro domo nondum occurrit, nec mirum in tanta confuſione multas voces periiſſe vel ex aliis linguis irrepſiſſe. Vltimum tamen E affixum Phœnicium Iod refert. Quorum convenientiam cum Phœnicia lingua nondum deprehendere poſſumus, hæc ferè ſunt. *Guacca* regio

vel vicinia. *Iarima* podex : unde nomen parti Hiſpaniolæ Guaccajarima. *Cu* templum. *Attabeira* mater Dei. Niſi tamen illud beira à ברא deducere velis, ut creatorem denotet. *Areiti* carmina. *Anacauna* flos auri. *Caizcimu* principium, oriens. *Amaca* lectus penſilis. Quæ duo tamen poſteriora non plane incognita Phœnicibus. Iis שכם unde השכם, mane & ante ſolis ortum aliquid agere ſignificat. Arabibus vero עמקן lectus eſt vel aulæum lecti, quia ſuſpenduntur & ſpeciem convallis præbent. *Caſiqua* Rex, quem in Coiba *Chebi*, alibi *Tiba* vocant, quod Phœnices חוב & טוב exprimunt. Nobiles in Hiſpaniola *Taino*, alibi *Iura* : *Mumu* Veraguanis pagus. *Tectetan* Iucatanis, non intelligo. Ex hoc ſpecimine patet majorem inter pauca hæc vocabula & Phœnicium ſermonem convenientiam deprehendi quam ut à mero caſu profecta videri poſſit.

Illis qui ad portum S. Iuliani à Magellano inventi fuerunt; Os *Piam*, mentem *Sechen*, lingua *Schial* vocatur. Quæ Punica ſunt, ex פה, זקן & לשון per ſyllabarum tranſpoſitionem. Et obſervavit P. Martyr *Aitanos in univerſum Hebræorum & Arabum aſpirationes expreſſiſſe.*

Verba ejus ſunt: *advertendum eſt nullam inesse adſpirationem vocabulis ipſorum quæ non habeat effectum literæ conſonantis, imo gravius adſpirationem proferunt quam nos F conſonantem. Proferen-*

ferendum eſt quicquid eſt adſpiratum eodem habitu quo f ſed minimè admoto ad ſuperiores dentes inferiori labello, ore autem aperto, ha, he, hi, ho, hu, & concuſſo pectore. Hebræos & Arabicos eodem modo ſuas proferre adſpirationes video. De quo quidem optime judicare potuit perfunctus ad Campſonem Gaurium Ægypti Soldanum legatione. Idem de præfixis & ſuffixis obſervavimus. Quod non leve originis argumentum. Nam ex literarum ſono & familiari ſingularum gentium in certis literis pronunciandi ratione & aurium judicio: item ex compoſitione & declinatione vocum, certiora ſumi poſſunt indicia cognati ſermonis quam è ſingulorum verborum ſignificatione: quod in ſimili argumento Buchananus monuit. Ita ex locorum & rerum ac gentium nominibus, quantum fieri potuit in tanta quæ ſuperſunt, paucitate, oſtenſum eſt Phœnices in America conſediſſe. Nec quicquam dolendum magis quam ita cæde exhauſtas illas inſulas & continentis magnam partem, ut cum populis & locorum & rerum ac perſonarum nomina interciderint. Quod niſi factum eſſet, non dubitandum, quin, cum quæ ſuperſunt pleraq; ex Punica lingua deducantur, longe maximus Punicarum vocum numerus adduci potuiſſet. Et tentavit in hoc argumento aliquid Comtæus, ſed exiguo ſucceſſu. Nam in eo ſtatim impe-

git quod Phœniciam linguam in Mexicana & apud Mareschevvachæos, Sagadahocas, Iaos, Hurones, Hochelagenses quæsivit. At hi in universum Scythicæ originis, & Phœnices in insulis & austro quærendi. Quid quod pleraque ejus vix ullam convenientiam habent, ut Abila, Anthla, Agacha, Holedonch, & Edom? Vnum id bene, *Iaos virginem vocare* Hellotii quod Phœnicum ילד & טלטא exprimere videtur.

CAP. XI.

Nomina propria Phœnicum apud Americanos. Abenamago. Benómia. Ben Beroica, Aben Beroica. Bogota. Anakyuz.

SEd jam tempus est, relictis locorum nominibus, personarum lustrandi. In quibus si quid occurrit quod indubie Punicam originem spectat, ideo majoris momenti esse debet. Igitur in Isthmo Panamæ, ut hinc potissimum ordiamur, fuisse *Abenamagos*, *Abibeibas*, *Abraibas*, *Benomiamas*, P. Martyr & Gomara testantur.

Quibus ad asserendam Punicam originem nihil clarius esse potest. Nam Punica esse ne quidem dubitandum est. Ac nomen *Abenamago* filium Magonis denotat. Quæ clarissima Carthagine familia. Sicut *Benomiam* filium

Omniæ

Ommiæ denotat. Quæ apud Arabes notiſſima ſtirps: cujus cum Abbaſidis internecina odia. In Iucatan *Abdola*: In Panuco *Bardechuzæ*: In Guadalaiara *Barcimecæ*. In Nixapa *Balderoci*. In Aiti *Maginneche* & *Magoriges* fuerunt Regum nomina. Vt vel ex his nominibus oſtendi origo Phœnicia poſſit. Sed ſunt & alia. In Cumana *Beradachi* & *Barrachi*. Quorum hoc Barchinos reſpicit. quod nomen in Iamaica Regium fuit: ubi tres ex ordine ultimi Reges, *Beroica*, *Ben-Beroica*, *Aben-Beroica* teſte Athanaſio Inga Peruano. Vbi Phœnicum morem in nominibus propriis conſtanter retentum videmus, inſigni argumento, quondam ibi Phœnices conſediſſe. *Bogota* nomen Regis ſupra Peruviam in Nova Granada, Punicum nomen *Bogud* refert, quod in Mauritania quoque Regium fuit, ubi alia Regum nomina non occurrebant quam Bocchar, Bogus, Bocchus, & Bogud. Ab Anakæorum gente ſupereſt in Regum nominibus vox *Anak*. Vnde *Anakyuz* Rex omnium Iaonum in Caribana. Apud Parios *Anaxarat*. In Aiti *Anakaona*. quemadmodum & apud Græcos nomen Ἄναξ inde deductum eſſe creditur.

CAP. XII.

Mores Phœnicum à Scythis aboliti vel corrupti. Splendida ædificia. Casæ Aitanorum & Pœnorum similes. Oscula pedum. Tonsura. Sepultura. Nuptiæ. Caninaq caro. Convenientia inter Ægyptios, Cannares & Ciorothegan os. Cur vino, literis, fundis, Americani caruerint. Xaliscani fundibularii. Chananæi an homiedones?

DE moribus & Religione Phœnicum in America paucis propterea agendum est, quia cum antiquissimus ipsorum adventus sit, tot seculis labentibus patriæ consuetudines pleræque, ut fieri solet, abolitæ & mutatæ sunt. Præsertim postquam Scythæ omnem illum orbem innumerabili multitudine sua inundarunt, qui Phœnices barbarico quodam diluvio absorpserunt & in suos mores transformarunt. Omnis igitur ille cultus quem America ante Mexicanos & Peruanos, vel præter eos habuit, non aliis quam Phœnicum genti, quantum constat, adscribendus, quorum tot navigationes in Oceano Atlantico ad longinquas insulas notæ sunt. Huc pertinent splendida illa & operosa apud Mantam Tiaguanacum & Titicacam lacum Peruviæ ac alibi reperta ædificia Incarum ætatem & adventum superantia Nihil etiam similius quam Punica mapalia & Aitanorum agrestes casæ. De quibus Martyr : *erant figura sphærica ex ligno,*

gno, imagine tentorii. De illis Cato quarto originum : *Sunt quasi rotundæ cortes.* Superſunt etiam quidam ritus communes utrique genti, ut pedes deſignatis regibus oſculari , quod Rabbini oſculum magnitudinis appellant. Sic in Iſthmo Panamæ, Reges moribundi ejus qui in regno ſucceſſurus erat, pedes oſculabantur, teſte Gomara. Phœnices erant τροχοκουράδες teſte Chœrylo apud Ioſephum primo contra Apionem, id eſt, acciſis undique capillis: ſolum verticem relinquebant intonſum ac in nodum religabant. Idem Nicaraguani fecerunt & Iucatani, fronte raſi, capillis retro prolixis & colligatis. Quæ Græcis κυκλικὴ tonſura, & pro varietate ὀπισθοκόμοι erant Nicaraguenſes, ἀκρο-κόμοι Iucatani. Inter Parios, Darienſes & Canarios Phœnicum coloniam , magna quoad mortuorum curam ſimilitudo eſt. Cadavera certis odoribus referta & ita ad ſolem vel ignes exiccata ut conſumtis penitus carnibus, ſola pellis oſſa conſtringeret, in ædibus ſuſpendebant ubi majores longa ſerie , tot ſeculis incorrupti, viſebantur. Sic ſponſas Regibus primo concubitu deflorandas dare Canariis pariter & Nicaraguanis receptum. Canina caro Iucatanorum, Mexicanorum & Carthaginienſium delitiæ. Haud dubie cum Phœnicibus Ægyptii quoque, ut in Græciam , ita in Americam venere. Inter hos & Cannares Peruviæ

ac Ciorotegaños Nicaraguæ hæc convenientia, quod virorum fuerit purgare domum, nere, inter mejendum conquiniscere; fœminis interea in foro & luce versantibus, & erecto corpore mingentibus. Nec obstat multa ignorasse Americanos, quæ Phœnicibus notissima erant, qualia ex multis sunt, usus vini, literarum ac fundarum. Nam neque Africanis, ubi latissimè Phœnices habitarunt, vini usus receptus fuit, nisi forte advectitii, eo quod solum illud vitibus inimicum esset. Quemadmodum de insulis etiam, Hispaniola, Cuba, & continente Septentrionali Acosta refert. Literas vero antiquissimi Pœni in Africa quoque ignorarunt & iisdem Baleares, indubia Phœnicum colonia, caruerunt, videnturque posterioribus temporibus demum in Africam illatæ. Cujus argumentum quod Cadmus Phœnix Ægyptias literas, non suæ gentis, in Græciam intulerit, quod Kircherus in suis Copticis demonstrat. Fundibularia ars quia admodum laboriosa ac à teneris exercenda, facile propter difficultatem in desuetudinem abire potuit. Sic apud Turcas sagittandi ars, nec non apud Anglos, qua majores illorum hostibus formidabiles fuerunt, ac tantum imperium pepererunt, hodie ita concidit ut vix unus alterve ejus vel mediocriter gnarus superfit, quod Busbequio observatum.

Cogni-

Cognitas Americanis fundas fuiſſe Chuquilla ſive Tonitru, numen Peruanum, manu fundam & clavam tenens, indicio eſt, & ipſe fundarum uſus adhuc apud Xaliſcanos obtinere perhibetur. Quod vero author libri Sapientiæ, quem Philonem fuiſſe volunt, Chananæos homiedones facit, ejus feritatis ab aliis ſcriptoribus abſolvuntur. Damnatæ libidinis rei ſunt, cujus in Panuco & Terra Firma ſuperfuerunt fœda veſtigia.

CAP. XIII.

Religio Phœnicia in America. Eorum traditiones. Chamus Phœnicum numen. Lapis Caabæ. Zemes Aitanorum. Chila Chambal. Stuckii aſſertio dubia. Pipelum idolum. Peruanorum & Pœnorum ſacrificia. Garcilaſſo negat humana ſacrificia Peruanis recepta. Sanguinem mittere Phœnicium. Saltare ſuper ignes. Bel Samen. Solis cultus. Guancharum & Peruanorum convenientia. Baptiſmus apud Canarios. Cruces an à Carthaginenſibus Americani acceperint. Comtæus rejicitur. Notitia Americæ quomodo extincta.

RELigionis Phœniciæ velut rudera quædam paſſim ſuperſunt. Ac primo quidem non videntur illæ Aitanorum & Peruanorum traditiones de hominum ac Deorum origine, à barbaris caſu inventæ, vel ex Scythica barbarie cum gentibus immigraſſe. Omnia enim profundiora ſunt, & Mythicam Phœnicum Theologiam reſpiciunt. Ipſi unde hæc

hæc omnia haberent interrogati, *ſic traditum à majoribus, ſic Carmina priſca narrare*, dixerunt. Sed examinari omnia non poſſunt propter nimiam rerum varietatem & quia magna, ut in fabulis, diſcrepantia. Hoc ad originem ſufficit, *Chami*, qui præcipuus Phœnicum Deus, claram extare memoriam in America. Nam quocunque terrarum Chami poſteritas devenit; ibi hujus Dei & conditoris ſui cultum retinuerunt. Quod compendio Lucanus ita exponit:

Quamvis Æthiopum populis Arabumque beatis
Gentibus atque Indis, unus ſit Iupiter Ammon.

Æthiopum nomine comprehendit omnes eas regiones quæ in Scriptura Chus appellantur: nimirum duas Æthiopias, Ægyptum, totam plagam auſtralem & deſertam Arabiam. De Ægypto res probatione non eget. Nam ea ſedes Chami antiquo nomine Cham dicta eſt; quod ſuo adhuc ævo duraſſe, Hieronymus in Traditionibus Hebraicis ad Geneſin teſtatur. Neque aliud Plutarchus vult dum Ægyptum in ſacris Oſiridis *Chemiam* dictam ſcribit. Et *Chemnis* urbs Thebaidis atque inſula Herodoto & Melæ. Omnia à Chamo. Sicut & magna gens *Ammonii*: apud quos templum Iovis Ammonis religioſiſſimi cultus. Atque ad hoc Æthiopum Arabumq; nomen Phœnices quoque referendi ſunt, juxta vetuſtiſſimam Geographiam,

graphiam, quæ orbem in tres præcipuas partes, Scythiam, Indiam, Æthiopiam dividebat. Phœnices Chamum *Beli* nomine coluerunt. Vnde *Iupiter Belus* idem qui *Ammon*. Et vera appellatione *Chámos* dictus est, quem allusione quadam à pallore deduxerunt. Hujus Idolum dicunt *Lapidem nigrum specie mulieris* fuisse; qui à Saracenis Meccæ colatur, sententia parum probabili. Nam niger Caabæ lapis, rudi figura, non in mulierem formatus est, quantum ex Arabum scriptis constat, de quo nuperrimè in Arabum Historia celeberrimus Pocokus egit, sed illi similis quem Romani pro Termino coluerunt, de quo Poëta: *Capitoli immobile saxum.* Ejusmodi Deûm lapides Bætuli dicti, quorum alii Saturno, alii cæteris Diis, Iovi atque soli imprimis, consecrabantur. Et Heliogabali simulacrum, lapis basi circulari fuit in conum desinens, authore Herodiano. De quo alibi dicendum. Nomen Chami notissimum Aitanis fuit. Quorum Dii *Zemes* communi nomine dicti; quæ vox cum Iaponiorum *Cames* ad amussim convenit. Apud Iucatanos priscus vates *Chila Chambal* celebratur. Habes ibi Chamum, habes Belum quoque: unde composito nomine Chambal fit. Si verum quod Stuckius de sacrificiis gentilium scribit *Hispanos ante paucos annos quam illa scriberet detexisse insulam Carolinam, in qua frequen-*

frequentes ſtatuæ æneæ viſebantur, intrinſecus cavæ, manibus junctis paßiſque; quibus infantes diis immolandos concludebant & igne ſuccenſo comburebant: Si inquam hoc verum eſt, habemus inſigne argumentum Cananæos in Americam veniſſe, apud quos idem mos ſacrificandi Molocho, ut Rabbini tradunt.

Sed quoniam nec authorem, unde petitum hoc, adſcribit; neque ulla Carolina Hiſpanis tempore Caroli Cæſaris detecta vel ab eo nominata; neque rei tam memorabilis apud celeberrimos ſcriptores mentio fit: impoſitum Stuckio videtur, neque id nunc urgemus. Neſcio an *Pipelum* in Inſula Coatan Idolum, reſpiciat id quod Ammonitæ coluerunt. Nam in lapideo throno ſedens numen duas ad dextram ac ſiniſtram mulieres adſtites habebat; de quo Benjamin Tudelenſis in Itinerario. Iuxtim altare in quo ſacrificia oblata. Sicut apud Pipeles quoque lapis muliebri forma inventus & juxtim ſacrificia. Phœnices Deos ſuos ἐν μεγάλαις συμφοραῖς cæde liberorum, adoratione quę fit manu ad os relata, membrorum ad ſanguinis miſſionem inciſione, colebant; ut ex Sanchuniathone exemplis multis probari poſſe Porphyrius teſtatur. Quorum duo priora Peruanis, tertium Nicaraguanis & Mexicanis receptum. Nam Peruani quandoqunque vel publica vel privata calamitas urgebat, ne liberis

liberis quidem suis parcebant: quorum immani sacrificio Deûm iras & mala posse averruncari, putatum est. Neque hujus immanitatis alibi exempla quam apud Phœnices, Carthaginenses atque Peruanos extant. Iucatani cæde puerorum & puellarum Deos placare soliti. At liberis suis parcebant. Mexicani solos hostes aris admovebant, nec licebat Diis sacrificare, nisi in ipsa acie ac bello captos. Igitur Peruani ac Phœnices soli fecerunt quod omnes alios refugisse novimus. Quanquam Garcilassus hanc barbariem à sua gente alienam esse velit & contra Acostam neget, *viros & infantes ægrotante Inca immolatos, imo tantum abesse ut Incæ humana sacrificia permiserint, ut etiam propterea vicinis suis bella intulerint & homines immolari vetarint.* Peruanos solem admota ori manu veneratos, idem Acosta author est. Nicaraguani & Mexicani peractis sacris sanguinem ex aliqua corporis parte, incisis visceribus, mittebant. Lapidum acervos Mercurio sacratos etiam in Peruvia reperit Acosta, quod Phœnicium esse notum. Marcus Lescarbotus pro Chananæa origine etiam hoc argumento utitur, *quod multi Americanorum saltarint super ignes quum Dæmones suos invocarent, quemadmodum & Chananæi fecerint.* Quod unde habeat, incertum. Magnus Phœnicum Deus *Bel Samen*, cœli Dominus, quem & Κρόνον, Saturnum

turnum ac Solem dixerunt, de quo incomparabilis Vossius. Nec in Dariene, Nova Granada, Peru, alius Deus cognitus. Apud Iucatanos erat marmoreus Leo pertusa cervice, in quem hostiarum sanguis effusus. Quid si Solem repræsentarit? *quem in Oriente Leonis specie cultum*, Iulius Firmicus scribit. Divinis honoribus colendos qui vitam aliquo utili invento excoluissent, multis quidem recepta opinio, sed Phœniciæ originis fuit, de quo testem Eusebium habemus. Idem persuasum illis qui Novam Angliam colunt. Iam Guanchæ Canarienses cum Peruanis & aliis Americæ gentibus, in multis conveniebant. Vtrique, cum siccitas esset, oves & capras ad balatum fame vel alia necessitate adigebant, eo balatu iram numinis placari ac pluviam impetrari existimantes. Baptismi nullibi clarior memoria quam apud Canarios. Infantes recens nati à fœminis certa verborum formula, infusa in caput aqua, baptizabantur, quæ si cum Iucatanensium baptismo compares, videbis miram omnino convenientiam, nec in Æthiopiam Abyssinam recurrendum fuisse Hugoni, cum Guanchę in Fortunatis longè propiores essent quibus ille mos in Americam illatus. Iidem unum summum Deum, rerum omnium conservatorem, animas immortales, inferni pœnas, tortorem Diabolum, agnoscebant. Ritum

tum crucis à Carthaginenſium mercatoribus Americanos accepiſſe quidam prodiderunt, quod vel propterea falſitatis manifeſtum, quia nullus crucis ante Chriſtum natum, honos, & quia crux fœdiſſimum apud Pœnos ſupplicium. Quæ Comtæus profert argumenta, Atlantes Afros à Dæmonibus vexatos, tum Magiam & Idololatriam Phœnicum pariter & Americanorum, quia multis gentibus communia, præterimus. Americanos Idola ſua in lintribus more παταίκων Phœnicum, collocare, nemo probatæ fidei hactenus tradidit, ſed de Sinenſibus id verum eſt.

Ita Phœnices in Americam navigaſſe & ibi ſuæ gentis homines reliquiſſe, ſatis evidenter oſtenſum; quæ ſi inter ſe comparentur, nec per partes ſed ſimul ac junctim examinentur, facile ſe curioſis antiquarum originum probabunt. Quod vero poſtea hujus orbis tam luculenter cogniti, memoria penitus intercidit, & ipſi Americani adeo degenerarunt, ejus rationes multæ ſunt, duæ autem præcipuæ, invidia Phœnicum & avaritia, ac quod publico edicto ſub graviſſimis pœnis navigationem illam Carthaginenſes interdixerint. Non enim alios modo, ut Tyrrhenos, verum etiam ſuos Atlantico mari excluſerunt, quod Gades tenentibus non difficile fuit, unde paulatim extingui regionum remotiſſimarum memoria.

Fama quidem ingens, ſed paucis credita, adeo ut maximi judicii vir Strabo, Phœnicum extra Oceanum errores fabuloſis narrationibus accenſeat. Pulcherrimè Pindarus Nemeor. Od. IV.

> Γαδέιρων τὸ πρὸς τόφον ὐ
> Περατόν. ἀπότρεπε αὖτις Εὐρώπας ποτὶ
> χέρσον ἔντεια ναός.

Deſerti à Carthaginenſibus in illis inſulis ac continente, barbaricos & ipſi mores induerunt, non penitus tamen omnem originem ſuam ejurarunt, quæ ſe lingua, moribus, religione, adhuc oſtendit.

Finis Libri ſecundi.



DE



DE ORIGINIBUS GENTIUM AMERICANARUM

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

Bella Hispanos sedes in Atlantico mari quærere coëgerunt. Guaraiæ. Hispanorum piratica. Studium detegendi terras in mari Atlantico. Coa.

ATque hæc Phœnicia Americanorum origo. Succedentibus temporibus alios quoque ex Hispania & Africa eo navigasse, quanquam probabile sit, certis tamen argumentis ostendi non potest. Tentatum illum Oceanum explorandi ergo quid ultra esset, Historici docent, & eò Sertorium ire voluisse Plutarchus author est. Nam cum ad eum venissent ex fortunatis insulis nautæ, de hominum ac Soli illius natura disserentes: nata viro bellorum

pertæſo cupiditas in illis quod reſtaret vitæ tranſigere. Quæ cauſa alios etiam multos, quorum ſimilis fortuna, ad quærendas extra Herculeum fretum in Atlantico mari ſedes impellere potuit. Admodum probabili conjectura id de Hiſpanis dici poteſt, qui & navigandi peritiam habuere & miſerrimis Pœnorum ac Romanorum bellis exerciti pacatiores ſedes quærere coacti ſunt. Quod argumentum Latio non ſpernendum videtur. *Ea* inquit *fuêre tempora in Hiſpania ab eo tempore quo illis cum Pœnis & deinde etiam cum Romanis res fuit, quæ illis gentibus penè neceſſitatem imponerent alias ſedes quærendi : Pœnorum autem naves ipſis ad hoc opportunæ erant, & Hanno monſtrator itineris ac exemplum.* Tale quid ipſi Guaraici, gens apud S. Crucis Provinciam late habitans, innuunt. De quibus Acoſta : *magni eos Hiſpanos facere & ſe ab iis ortos dicere.* Signa navium Hiſpanienſium paſſim in Æthiopia & Arabico Sinu, naufragiis ejecta, conſpiciebantur. Piraticam quoque in Atlantico exercuerunt, quod de gentibus inter Artabros & Tagum Strabo refert. Nubienſis Geographus tale quid innuit : *Mauros quoſdam, inſtructo ad complures menſes navigio Lisbona profectos in mare Tenebrarum* (ita Atlanticum Arabes vocant) *quid in eo lateret, inquiſituri. Poſt complurium dierum navigationem, detectis aliquot inſulis,*

ſulis, ad Africæ littus ejectos tempeſtate, infecta re domum remeaſſe. Ex qua narratione patet ſæpe in illo Oceano curioſitatem hominum ſe exercuiſſe, ut ulteriora explorarent. Quemadmodum ille ad cujus littora hi Mauri ejecti fuerant, Africanus Rex narravit: *miſſos à patre ſuo qui ulteriora ejus Oceani detegerent.* Et tali caſu Æthiopes in Careta Terræ Firmæ reperti, in Americam venerunt. Colore & ferocia morum Guineenſes vel Cafaros referebant. Recens ante Hiſpanos adveniſſe ex numero patet, quia pauci adhuc cum Vaſcus Nunnez illas partes peragraret. Sed linguæ Hiſpanicæ, id eſt Cantabricæ, nulla reperta veſtigia: unicum vocabulum *Coa* convenientiam habet, quod & illis & Peruanis mulierem ſive uxorem notat. Mores in univerſum non abludunt. Nam & veteres Hiſpani immanes ac Scythis & Thracibus feriores apud Strabonem. Et ita diverſis temporibus ex Africa & Hiſpania aliiſque Europæ partibus in Americam venire homines potuerunt, quod tamen occultum nobis ſcriptorum incuria & defectu manſit.

CAP. II.

Britanni an in Americam venerint? Navigatio Madoci Cambri. In Americam borealem coloniam duxit. Mateczunga & Mat Inga Madocus.

HIc in tranſcurſu examinanda eſt eorum ſententia qui Cambros ſive Britannos in Americam veniſſe ibique magnas condidiſſe colonias volunt. Primus in hac opinione Richardus Hacklutus fuit, cujus vaſtum Itinerarium Purchaſio editori debemus. Sed argumentum quod affert leviculum eſt. *Quia* inquit, *Franciſcus Lopez de Gomara prodidit in Acuzamil ſuiſſe repertos qui crucem venerarentur. Verum cum pauci eſſent, mores ſecuti ſunt eorum quos ibidem invenerunt & linguam quoque ſenſim mutarunt.* Diximus ſupra quid de crucibus repertis ſtatuendum ſit. Ex illis certe non conſequitur à Britannis illatas, cum tot per orbem Chriſtianum gentes illis uterentur. Rem igitur altius ex Hiſtoria repetamus. Nam ubi demonſtratum fuerit, Madocum Cambriæ Principem olim cum ſuæ gentis hominibus novas in occidente inveniſſe terras & inhabitaſſe: ejus etiam nomen ac memoriam adhuc inter barbaros ſupereſſe, nihil fere, quod amplius ambigamus, reſtabit. Ita igitur David Povvellus in Cambriæ Hiſtoria: *Anno* CIↃ C

LXX

LXX *Oweno Guyneth defuncto, dum filii inter se de principatu contendunt & nothus armis superior illum obtineret, Madocus unus ex Oweni Guynethi liberis, discordiarum civilium & præliorum inter fratres pertæsus, comparavit sibi aliquot naves & idoneo commeatu aliisque rebus impositis è patria profectus ut novas Terras investigaret, ac relicta post tergum Hibernia, versus Zephyrum cursum instituit, donec incideret in terras ante incognitas, ubi multa mirandaque observavit. Inde ad patriam reversus Cambris suis exposuit :* quam amœnas & fœcundas terras adiisset, sine ullis incolis; & ob quam sterile ac inamœnum solum fratres sui armis inter se contenderent, & in vulnera ac mutuum exitium quotidie ruerent : proclive esse ipsis & domestica pericula vitare & amœnis hisce atque fœcundis terris potiri. *Quum non paucis persuasisset, denuo naves plures sibi comparavit, & omnibus necessariis impositis, magnum numerum virorum pariter ac fœminarum, quos domesticarum calamitatum tædebat, secum in illas terras abduxit & patriæ suæ valedixit.* Quibus Hacklutus addit; *Madocum cum in illas terras venisset A.* CIↃ C LXX, *suis in colonia relictis, denuo domum reversum ut plures ex concivibus suis & consanguineis exciret, decemque navibus paratis tertio ad suos profectum idque memoriæ à Gutyn Owen proditum.* Ex his concludit, omnino Madocum cum suis Cambris ali-

quam partem Americæ Septentrionalis obtinuiſſe. Nec aliter ſtatuet quiſquis hanc navigationem cum ſitu terrarum vel obiter contulerit. Nam poſt Hiberniam nullæ navigantibus occurrunt terræ, niſi Bermudæ ab omni ævo incultæ, & poſtea ingens America. Cumque Zephyrum verſus curſum direxerit Madocus, dubium non eſt quin in ipſam devenerit Virginiam vel Novam Angliam, ibique ſuos expoſuerit. Nec obſtat quod tradunt incultam fuiſſe & hominibus vacuam regionem: Vaſtiſſimæ enim illæ terræ ſunt, & noſtro quoque ævo poſt ſex ſecula malignè habitantur. Præterea tractus ille ad quem Madoc appulit, deſertus eſſe potuit, cum tamen alia loca & interiores partes barbaros Chichimecas haberent, quibus permixti Cambri & intermiſſa illa navigatione, linguam moreſque patrios exuerint. In hac ſententia vehementer me confirmant indigenarum traditiones. Nam Virginiani & Guahutemallæ antiquis temporibus Madocum quendam velut Heroem coluerunt. De Virginianis Martyr Dec. VII. c. 3. De Guahutemallis Dec. VIII. c. 5. Habemus *Matec Zungam* & *Mat Ingam*, qui cur Madoc Camber eſſe nequeat quem in eas partes delatum domeſtica evincunt monumenta, ratio nulla reddi poteſt. Ad antiquitatem quinque illa ſecula ſufficiunt, quouſque altiſſima Americano-

ricanorum memoria, nec ferè ultra, adſcendit.

CAP. III.

Origo Americanorum Scythica. Scytharum fines. Venerunt in Americam. Refelluntur Grotii argumenta in contrarium. Scythæ equestres. In America nulli equi. Variæ hujus cauſæ. Ingens frigus in Quivira Et Nova Mexico. ac Viſcaia Scythæ pedites. Et Navigatores. Amazones. Scoti. Heruli. Roſſi. Tatari. Eorum claſſis ingens. Iezi. Tatari quomodo transfretent. Cur in America nulli acinaces vel arma ex ferro. Æs apud Scythas loco ferri. Ferri non omnino rudes Americani. Plumis abundant pretioſis.

SVccedunt Scythæ, à quibus longè maxima pars Americanorum orta. Quod ut clarius intelligatur, res ab initiis tam magni populi arceſſenda eſt.

SCYTHARVM nomine Græci quicquid barbararum gentium ſupra Euxinum & Caſpium mare verſus Orientem, Occidentem, Septentrionem errant, complexi ſunt, voce ab una & nobiliſſima gente ducta, cujus primæ ad Araxem in anguſta regione ſedes. Poſtea quicquid ad Caucaſum & Oceanum paludemque Mæotin & Tanaim terrarum eſt regioni ſuæ adjecerunt ac in Palos, Napas, Sacas, Maſſagetas, Arimaſpos aliaſque nationes ferociſſimas excreverunt. De quo Diodorus ſecundo Bibliothecæ. Perſæ eos in univer-

ſum *Sacas* à proxima gente, appellarunt. Antiqui *Arameos*, ut Plinius vult, unde & Arimaſporum nomen. Cum igitur omnem multitudine ſua Septentrionalem Aſiam impleviſſent, tandem ingenti agmine Americam ſibi proximam inundarunt. Via illis & in Occidentem & in Orientem patebat, atque hæc tritior erat & facilior. Vnde ſcriptores obſervant verſus Aſiam magis hominibus abundare Americam quam qua Europam reſpicit. Vel enim terræ ibi conjunguntur, vel exiguo freto diviſæ ſunt. Et ſponte migrarint in vacuas & ſibi oppoſitas terras: an à vicinis pulſi, cum terræ deeſſent, maria trajecerint, ſicut obſcurum ita perinde eſt. Veniſſe eos in Americam Septentrionalem magno jam ante A. Ch. Iↄ c c numero, inde univerſam impleviſſe, id vero ubi firmis rationibus demonſtratum fuerit, multis ſimul difficultatibus quæ objici poſſunt, ſatisfactum exiſtimabimus.

De quo antequam agamus removenda illorum argumenta qui Scythas in Americam veniſſe negant, quorum princeps & author Hugo Grotius eſt, nec ante eum quiſquam Scythicæ tranſmigrationi contradixit. Verba ejus ſunt: *Conſtat in America ante Hiſpanorum adventum equos fuiſſe nullos. Scythia autem plena ſemper equis, & Scythæ fere omnes equis vehi, & in equis ingentia terrarum ſpatia conficere, etiam*

ſanguine

ſanguine equorum, ſi alia deeſſent, in potum uti ſoliti. Quod ſi cohærerent America & Tataria, equi aut fugitivi aut libere paſcentes, ex Tataria in Americam olim penetraſſent, ſicut equos ex terris Americæ aliis in alias magnis diviſas montibus penetraſſe conſtat Hiſpanorum relatu, ex quo Hiſpani equos illos advexere. Si vero perpetuum intercedit fretum, quod magis credo, Tatari nunquam navigatores fuere, & ſi fuiſſent, non magis tranſiiſſent ſine equis aut diu ſine equis eſſe voluiſſent quam Galli veteres qui in Britanniam, aut Hiſpani qui in Americam tranſiere. Ad quæ inter alia Latius rectè obſervat; *etiamſi per Scythiam Americani tranſmigrarint, non tamen propterea neceſſario Scythas aut Scythicæ originis fuiße.* Nam gentes ab aliis pulſæ migrant, ſicut unda undam trudit, & via quidem per Scythiam tendentibus in Americam capienda, ipſæ autem gentes aliæ à Scythis eſſe potuerunt. Ita argumentum à moribus Scytharum in univerſum alienum erit. Deinde varia obſtare potuiſſe impedimenta quo minus equos ſecum tranſportarent. Quanti navigatores Scythæ fuerint, exemplo Sinenſium patere. Tum cornutum hoc argumentum argutè in Norvvagos Hugonis retorquet, quos longe improbabilius ſit, ſine equis & bobus tranſituros fuiſſe.

Igitur ad excludendum America Scythas non ſufficit dicere navigatores non fuiſſe, nec in Ame-

in America repertos equos. De equeſtri ejus gentis ſtudio nullum dubium; unde proverbium à Suida citatum, *Scytha equum*, eodem ſenſu quo *Cretenſis mare*. Conſtat quoque illo animali caruiſſe Americam, nec nugaciſſimo Theveto ad hanc explicandum difficultatem opus eſt, qui cum vigeſimo ſecundo Coſmographiæ ſuæ libro innumera de Mexicanis commentus eſſet, tandem etiam equos in arenam producit, & *apud Mexicanos injuſtos judices equo ſtrigoſo & infreni impoſitos*, comminiſcitur; quo nihil ineptius. Nam ob varias cauſas Scythæ ex equitibus potuerunt pedites fieri. Vel quia ex meridie Septentrionem verſus progreſſi quæ plaga nullos equos tolerat, ſicut ad glacialem Oceanum Scythæ innumeri ab Hunnis & aliis equeſtribus populis orti, equis carentes eorumque loco ſuis Rangiferis vel etiam ingentibus moloſſis utentes, quod etiam in America repertum. Fenni haud dubie Sarmatica gens, quos equis caruiſſe Tacitus libro de Germanorum moribus obſervat. Non omnis navigatio vel quævis naves equis tranſportandis accommodę. Quod ſi terrę illę continentes vel glacie concretæ ac cum equis in Americam delati Scythæ, extinctos vi frigoris neceſſe eſt. Nam multum ab Europæ & Aſiæ temperamento borealis America differt, ita ut regiones inter XL & LX gradum, quæ in Eu-

ropa

ropa ſatis temperatæ, in America intolerabili frigore etiam media æſtate rigeant, quod ad Quiviræ littora & gradum XLII Franciſcus Draco menſe Iulio, ipſo flagrante Syrio, notavit. Hiſpanorum in Novam Mexico itinera teſtantur eam plagam ob adurens & penetrabile frigus, equos non ferre. In Nova Vizcaia equi magno numero ex paſcuis in medios illapſi ignes obriguerunt. Quidam ex illis adhuc ſtans mortuus poſt quindecim dies repertus eſt. Igitur quod Hugo inquit: *Scythiam olim fuiſſe ſine equis, contra omnem eſt Hiſtoriam*, multum à noſtra ſententia alienum eſt. Neque enim de Scythia priſcis cognita & deſcripta, ſed de extima ejus ac boreali ora dicimus, ſine equis fuiſſe. Neque ita equis ſuis affixi Scythæ ut non & pedites fuerint. In exercitu Xerxis, Parthi, Bactriani, Hyrcani, Sacæ & alii Scythæ innumeri pedites fuerunt. Nautas quoque fuiſſe multis exemplis oſtendi poteſt. Notum eſt quid Diodorus de Amazonibus contra Atlantios bellum gerentibus ſcribat. Scoti Scythicæ originis ut Cambdenus oſtendit, qui navibus primo in Hiberniam, ubi jam Oroſii ætate, deinde in Caledoniam transfretarunt. Heruli quos Zoſimus Scythis annumerat, Thulen occuparunt tradente ſecundo Gotticorum Procopio. Roſſorum navigationes in Ponto Euxino Græcis notiſſimæ, nobis

etiam

etiam in Septentrione. In Oriente Tatari classem quindecim millium navium inter Corcangui & Caigui qua fluvius Coromoron maria subit, jam Kublai Imperatore & ante occupatam Mangi, quæ Sina, habuerunt. De Iezis id est Tataris Iaponii tradunt, *eos ex continente in insulam Mateumai* XV. CIↃ *passuum à regno Iaponiæ Luegerano, navigare* teste in Iaponicis Ludovico Frois. Et quomodo Tatari ex equitibus nautæ fiant, Thuanus libro LXVII. tradit. Nam quando fretum aut mare superandum venit occisis equis vilioribus pelles detrahunt, ex iis inversis & pinguedine obductis, etiam costis trabium loco intextis naviculas consuto crinibus celeriter corio conficiunt, quibus singulis octoni homines transportantur. Vnde patet qua ratione equorum jacturam facere & navibus in Americam trajicere potuerint. Nec obstat acinace & aliis ex ferro armis, quæ Scytharum, non usos Americanos. Neque enim eadem ratio Septentrionalium Scytharum, quæ illorum qui in meridiem habitant. Nullum in rigida illa plaga ferrum vel raro provenit. Sic Fennos inopia ferri ossibus armare spicula ex Tacito notum. Eadem Samojedarum, Molgomzomiorum & qui Tataricum mare sive glaciale accolunt, ratio est. Ferri quoque dives America non est, unde ejus loco armis ex ære utebantur,

tur, quemadmodum antiquo ævo Scholiaſtes Apollonii Rhodii ad 1. Ἀργον. μηδέπω εὑρεθέντος σιδήρου χαλκῷ ἐχρῶντο, ὡς καὶ Ἡσίοδός φησι·

Χαλκῷ δ᾽ εἰργάζοντο, μέλας δ᾽ οὐκ ἔσκε σίδηρος.

Quid quod antiquis etiam Scythis arma fere ex ære? Strabo de Maſſagetis: *æreis Sagaridibus* (quæ bipennes erant) *utuntur. Argentum apud eos non naſcitur neque ferri multum; æris & auri abunde.* Eadem Americanorum ratio fuit. Non enim omnem ferri uſum ignorarunt, ut falſo Martyr putat. Meminit Acoſta ferreæ caveæ qua Mexicani eum concluſerunt qui Tezcatlipucam referebat. Paraguaiani etiam lamellis ferreis pro moneta uſi. De Peruanis Latius: *ferrum fere ignorabant.* Non igitur omninò. Sic quod plumis ornati Americani, cum implumes fuerint Scythæ, regionum diverſitati adſcribendum eſt. Abundat enim America pulcherrimis pennis quarum pulchritudine illi populi invitati fuerunt ad ornatum ſibi exinde conficiendum. At illis Scythia deſtituitur.

Scytharum triplex genus in Americam venit: Hunni, Kithæ, Sinæ. De quibus ordine agendum.

CAP. IV.

Origo Americanorum Hunnica. Hunni amplißima gens. Sub iis Turcæ. Tatari. Alani. Qui & Abdelani sive Euthalitæ. Slavorum origo. Avares Parthi à Scythis quando conditi. Saberi. Vngri, Fenni. Lappones. Hungari à Pascatiris orti. Ab iis diversi Iuguri.

HVNNI magna gens, complexa nomine suo Alanos, Avares, Saberos, Vngros, Turcas, Tataros, Fennos, Lucumores, Tingœsios, Molg Zomios & quotquot glacialem Oceanum accolunt, barbaros. Quos magnam partem Nicephorus complectitur libro XVIII. cap. XXX. cum inquit: *Turcas, Abares, Mucritos, Sogores* (legendum Mogores) *Veros, Cunos, Barsilt, Vniguros, Saberos, contiguas & potentißimas gentes fuiße.* Quos omnes Hunnorum nomine insignimus: partim quod Imperium Hunnorum per illas gentes amplissimum; partim quia antiqui scriptores eos ita apellant. De Turcis Cedrenus: Τούρκων ἔθνος γένος μὲν ἐστὶν Οὐννικὸν, πολυάνθρωπόν τε καὶ αὐτόνομον. Idem Iohannes Curopalates & Zonaras, qui bis dicit: *Turci Istrum accolentes* qui & Vngri. Simocatus apud Eustathium in περιηγητὴν testatur, *Hunnos à Persis Turcas appellatos.* Iidem cum Tataris & nomine & gentium numero conveniunt. Quemadmodum enim Tatari in septem Hordas divisi atque *Mogores* dicti: sic Hunni

Hunni quoque ſua lingua *Magyari* ſunt; & ipſorum ſeptem gentes quod ex Nicephoro apparet; ubi ſe Chaganus Abdelarum Imperator, in oratione ad Mauritium Imp. *Septem gentium & ſeptem orbis Terræ climatum Regem appellat.* Apud Cedrenum *Moageras* nomen Hunnici Regis. Et A. C. IↃ CCXLIV. ſeptem Exercitibus, ſeptem diverſis itineribus ac ducibus, in Pannoniam redierunt. Sic nomina Hunnorum & Tatarorum conveniunt. *Tudun* Hunnorum Dux à Carlo Magno victus, ut annales Francorum Fuldenſes à Marquardo Frehero editi teſtantur. *Taudun* Vlahku Kain filius apud Texeiram. *Toxa* Geyzæ Pater. *Tuxy* filius Chinguis. *Buda* frater Attilæ. Tataris *Baido*, *Bathi*, *Peta*. Alani plerumque Hunnis apud Hiſtoricos conjunguntur. De quibus ita Marcellinus: *Alani ex montium appellatione cognominati, paulatimque nationes conterminas crebritate victoriarum attritas ad gentilitatem ſui vocabuli traxerunt ut Perſæ. Hunnis per omnia ſuppares, verum victu mitiores & cultu.* Nec *Euthalitæ* Hunni apud Procopium alia ab Alanis gens: qui & Albanos fuiſſe putat. Cedreno *Nephtalitæ*. Quod corruptum nomen: nec quicquam pro Iudaica Origine. Sicut & Euthalitarum nomen à Græculis ita detortum. Quod ex Nicephoro diſcimus; ubi de Cagano loquens: *Abdelarum* inquit (alius di-

xerit Euthalitarum) *Rex*. Emirkhondo Abdela regni Metropolis: unde Abdelani & brevius Alani. Qui non in Occidentem tantum, verum & Orientem, uſque ad Gangem extenſi. Sed quod Cedrenus inquit: *Hunni qui & Slavini:* verum non eſt. Nam diverſa gens Slavi & Hunni ſicut ex lingua patet. Slavi in Europæa Sarmatia, egreſſi ex Aſia & profundo Berſiliæ ut Solinus, Græcus ſcriptor apud Pyrckhaymerum teſtatur. Quod ſi verum, crediderim Berſiliam eſſe illam quam Nicephorus *Barſilt*, Venetus *Barſcol* nominat. *Avares* Hunnica gens: quia ipſorum Reges Cagani. Elmacino *Harari*. Sedes circa Turqueſtanam. *Pſeudavares* apud Nicephorum. Nam pars Verorum & Cunorum ex Oriente in Pannoniam pulſi, metu Avarum in idem nomen conceſſerunt. Illi *Veri* Cunorum vicini, Parthis originem & nomen dediſſe videntur. Parthos Scytharum ſobolem eſſe antiqui uno ore teſtantur, de quorum in Perſiam adventu mirum eſt viros doctos nihil hactenus certi eruiſſe. Conſtat Scythas Cimmeriis fugatis, Duce Madya cum ingenti multitudine in Mediam irrupiſſe & totos viginti octo annos Imperium Aſiæ ſuperioris tenuiſſe, de quo legendi Herodotus & Strabo. Factum hoc tempore Cyaxaris Mediæ, Ioſiæ Iudææ, Pſammetichi Ægypti Regum, A. Mundi termilleſimo trecen-

trecentesimo decimo sexto. Madyas Indathyrsus ille Scytha est, quem ex Scythia erumpentem Asiam ad Ægyptum usque pervasisse, ex Megasthene Strabo sub initium libri xv. & Arrianus in rerum Indicarum libro referunt. Atque hoc est quod veteres tradunt, *Scythas superiori Asia potitos Bactrianum & Parthicum Imperium condidisse.* Quanquam enim illorum imperium breve ac ferè ambulatorium fuerit, passim tamen suæ gentis colonias reliquerunt, in Syria Scythopolin quam & Magog dictam Plinius refert, in Media Parthos qui & Persæ. Non enim major differentia inter Parthos & Persas, quam inter Cattos & Hassos, Assyrios & Athyrios, quod jam dudum viri docti monuerunt. Ac mirifice hanc sententiam confirmat & illustrat, quod paulo post & nomen & imperium Persarum ac Parthorum innotuerit. Trogus apud Iustinum: *Parthi Scytharum, exules fuêre. Hoc etiam ipsorum vocabulo manifestatur: nam Scythico sermone Parthi exules dicuntur.* Si propius nosse cupias, à qua Scytharum gente orti, Massagetas eorum conditores putarim: qui utrique & Massagetæ & Persæ Soli equos immolarunt, hac ratione moti quod celeri Deo celer hostia conveniat. Hunni *Saberi* apud Cedrenum & Procopium, vel cum Avaribus vel Siberis Russiæ, vel cum utrisque iidem. Ab ipsis Sabaria

 Hunga-

Hungariæ dicta. De Vngris & Vniguris certa res: qui *Iubri* hodie, Siberis vicini. Vnde Hugari à Slavis dicuntur quos Hungaros vocamus. *Fenni* magna gens. Olim Hunnis vicini. Melæ, Plinio & aliis Fanesii. Eorum lingua tam peculiaris ut à Scaligero inter undecim matrices Europæarum ponatur. Finnorum propago *Lappones*. Vtrique Hunni. Ex quo nomine si durius aspires Funni & Fenni proveniunt. Lappones Orientales circa Kolam, Suedis *Trinnes*, Russis *Terschanowoloch*: sibi ipsis *Pyhenieni*. Quod perinde est ac si Hunos dicas: unde fit *Pyhunen* & *Pyhenen*: sicut Funos, Finnos, Fennos dicimus. Idem de Molgzomiis, Lucumoriis, Tingoesiis putandum est. De quibus in genere antiqui, cum dicunt, *Hunnos glacialem Oceanum accoluisse*, quæ verba Marcellini sunt. Et clarius adhuc incomparabilis seculi sui Rubruquis, tradit *trans Volgam ad Septentrionem esse regionem Pascatir ex qua orti Hunni & Hungari. Vnam Hungarorum & Pascatirarum linguam esse. Iuguros à Pascatiris distingui. Nam illos peculiares literas habere & scribere deorsum progrediendo à sinistra versus dextram ita ut lineæ pendeant. Hunc scribendi morem Tataros à Iuguris accepisse, & tales literas Mangu Canem ad Ludovicum Regem Franciæ misisse.* Iuguros autem facit vicinos Moalis & Tataris.

CAP: V.

ausa migrationis Scythicæ. Bellum. Abundantia virium. Venatio. Oceanus glacialis viam præbuit. Quo tempore facta. Septentrio parum habitatur.

NEc diu quærendum eſt quid hos Scythas moverit ex noſtro in alium orbem mi-are. Quippe duas cauſas fuiſſe reperimus: ellum & abundantiam hominum. Bella in-r ipſos æterna: *aut cædunt aut cæduntur* inquit ucianus. Igitur infirmiores & victi ſedes mu-re cogebantur. Quo & illud eos movebat, hoſtium cibus fierent. Hoſtes enim come-re, Scythicum. Ipſâ gens imprimis fecun-. Hunnorum in antiqua patria centum & to tribus. Turcarum fere totidem, ut ex tono patet. Quare multitudinis domi mi-endæ cauſa migrandum plurimis & velut rum ver in alias emittendum terras. Feras oque perpetuis & vagis venationibus ſe-bantur. Vt quemadmodum illæ ex Aſia in nericam ea occaſione devenerunt; proba-e ſit etiam venatores eo delatos. Et hoc do Hunnos ex interiori Aſia in Europam iſſe Bonfinius teſtatur. Ipſa etiam Scytha-n vita inſtabilis ſemper & vaga, ſine ſedi-fixis, ut campus, ut fons, ut nemus invita-: ita aliquandiu commorabantur: tum de-

nuo, fugientium ſimiles, alias terras & ſibi adhuc incognitas petebant; Via vel mari vel ſ nulla continens, per glaciem qua totus Septentrio connectitur. Vt non anxie quærendum ib vel fretum vel alius tranſitus. Nam Oceanu glacialis hyeme continentis vicem obtinet & eum hoſtes invadere ac ultro citroque commeare Tataris receptum. Quod expertiſſi mus Rubruquis teſtatur, qui tradit *ſupra Ta tariam in glaciali Oceano Tautas & Manſas inſu larum habitatores hyeme per glaciem à Tataris in vadi.* Quemadmodum in Suecia quoque fie Olaus & Magnus Vpſalenſis ſcribunt.

De tempore quo hæc tranſmigratio Scy tharum primũ cœpit, cuncta nobis, ut in tan ta antiquitate & tenebris, incognita ſunt. I certum, longe recentiorem Phœnicum in A mericam adventu, quia Septentrio immenſi terrarum ſpatiis uſque in novum orbem, fer ſub ipſum ſiderum cardinem, qua via tranſive runt, extenſus, non ante multa ſecula cultori bus impleri potuit. Nam quis terras adſpect fœdas & æternis nivibus ac glacie horrentes niſi pulſus ab aliis, adire velit? Rari hodieq in Lappia, Gronlandia, Samojedia & omni a glacialem Oceanum tractu habitatores. Ra quoque in Septentrionali America. *Omnis Vir ginia* inquit Purchaſius, *Nova Anglia, Terra No va & cæteræ ad polum ac centum interius milliari*

regione

regiones non tantum hominum habent quantum Londinum. Regio Angliam magnitudine ſuperans vix millia quinque in aciem producet. Quod argumento tardius ad Septentrionem habitari cœptam & ſi conjecturæ locus, non ante annum Chriſti quadringenteſimum. Quippe tum temporis horridus Septentrio commoveri præ multitudine hominum & agmina ſua in omnes orbis partes effundere cœpit. Impulſi à vicinis, alios impellebant & exundabant in omnes mundi plagas. Hunni tum ab ipſo fere glaciali Oceano progreſſi in auſtrum ſunt. Nec dubium alios vel venandi ſtudio vel prementibus vicinis, qua data via, ſive per Occidentem ſive per Orientem in Americam penetraſſe. Quippe Chichimecæ circa A. Ch. IↃCC in Mexicanam venerunt. Porro illa perpetuo vaga & venationibus dedita gens, ſua barbarie quicquid eſt miſerabilium Finnorum, Samojedarum, Tatarorum, non æquat tantum ſed ſuperat. Trecenti vel quadringenti anni ſpatium ſatis amplum ſunt quo per Septentrionalem Americam ſpargi & ſobolem ſuam magno incremento augere potuerunt. Vt hæc ſecunda Tranſmigrationis Americanæ periodus Hunnica in tempora poſt natum Chriſtum probabili conjectura incidat.

Ita Hunni ex interiore Aſia in Septentrionem & horridas frigoribus plagas delati ſunt.

Vbi postea divisi, parte in Orientem, in occidentem alia migrante, utraque via tandem in Americam venerunt. Quæ hinc Asiæ, inde Europæ, maximis & magnam adhuc partem incognitis plagis interjacentibus sive illæ insulæ sint, quod ignoratur, vel alicubi una continens, proximat. Nam freta si intercedunt, non admodum magna esse oportet. Quod nos animalia docent, quæ eadem via in Americam delata sunt, natandi non adeò perita, ut magno mari transmittendo sufficiant.

CAP. VI.

Hunnorum in Americam adventus per occidentem. Gentes ad Obin. Biarmia. Skidfinni. Finlandia unde dicta? Nova Zemla & Gronlandia per æstatem habitabiles. Oonæ & Panotii. Gronlandia antiquis nota. Islandia. Fabulosa Frislandia & aliæ Zenorum insulæ. Geographorum errores. Estotilandia. Islandia est Thule. Pytheas Maßiliensis defensus. Thule quamvis borealem terram notat. Islandia ante Norvvagos frequentata. Thyle pro Tilemarchia, Schetlandia. Gronlandia quando detecta. Riphæi. Gronlandia ante Norvvagos habitata. Skerlingi. Similes Americanis. Vrsi albi. Feræ quomodo in Americam venerint. Gronlandia Americæ continens. Terræ polares incognitæ.

QVi occidentem versus procedebant, primo ad utramque ripam fluminis Obi, & glacialem circa Novam Zemlam, Russiam & Lapponiam, Oceanum consederunt. Quas M. Paulus Venetus, & ante eum Nubiensis, Regio-

Regiones Tenebrarum appellat. Gentium nomina ſunt: *Calami, Tingœſi, Oſtachii, Molgzomii, Serpanoutzi, Lucumores. Gruſtini, Vogulitzai, Samojedi, Papinai, Premskii, Obdora, Condora, Loppi, Fenni, Caroli* & complures alii. Loppi hodieque circa Lucumoriam degunt, ſicut Herberſteinius teſtatur. A flumine Obi partim in occidentem, partim longius in ſeptentrionem progreſſi ſunt. In occidentem à Fennis, Loppis, Carolis itum, qui Scandiæ extrema uſque ad promuntorium Rubeas occuparunt. Ibi Lapponia Orientalis, quam Suedi Trennes, alii Biarmiam vocant, à Finnico Varama quod montoſam regionem ſignificat. Omnibus Finnis & Lapponibus Skidfinnorum nomen competit, à ſoleis ligneis quæ Suedis Skidh, Finnonibus Sukſi dicuntur. Atq; hinc Saxo Sialandicus Scricfinnos ſuos depromſit corrupta voce; & alii totam Finnorum gentem in Scritofinnos & Marchiofinnos diviſerunt. Hodie peninſulam Suediæ oppoſitam tenent. Et mirum eſt nomen ac antiquitatem eorum controverti. Nam ſunt qui Finlandiam dici volunt à regionis amœnitate. Alii quod olim hoſtes Suecorum fuerint, Findlandiam id eſt hoſtilem regionem dictam. Quæ inepta ſunt; eſtque Finlandia regio Finnorum, quos ibi Tacitus collocat. Hi longius in Septentrionem progreſſi, ex continente in vicinas inſulas,

Novam Zemlam & Gronlandiam, venerunt. Nam illæ regiones, propter uberem terræ, maris, aëris venaturam, certo anni tempore, Iunio, Iulio, Augusto frequentantur à Fennis, Lapponibus, Samojedis, ut Linscotius testatur. Nec insuavis ibi per æstatem habitatio: cum solum floriferum & amœnum sit. Nova Zemla, Gronlandia & vicinæ insulæ sunt, in quibus Huni & Fenni sive Fanesii à Mela & aliis collocantur. Quæ voces à Græculis in *Oonas* & *Panotios* mutatæ, pudendo errori, de victitantibus ovis & magnarum aurium hominibus, occasionem præbuerunt. Quippe Fanesios ibi habitasse, & ita legendum, non Panotios, locus ostendit. Nam omnem eam Sarmaticam oram, Fenni, Lappones & qui ab his profecti sunt, ab omni hominum memoria tenuerunt. Et Fanesii dicti, quemadmodum Tauriscos, Hunniscos, Suediscos dicimus. Fabulam de Oonis, quasi ovis victitarint & avenis, plane destruxit magnus Salmasius. Ex Nova Zemla & Lappia in Gronlandiam brevis trajectus. Variæ enim interjacent insulæ & terræ nondum omnes nobis exploratæ. Quarum pars quoque habitantur: ut Terra Metæ incognitæ, ab Hugone VVillugbæo Anglo primum detecta. Igitur ex una in aliam vel per glaciem, vel ubi ea deficit, scaphis ventum est. Qualibus Samojedi in Novam Zemlam

lam quotannis trajiciunt & navigant. Gronlandia ingens ſub ipſo Cardine ſiderum, incognitæ etiamnum magnitudinis inter Americam & Europam media jacet. Cujus nomen etiam antiquiſſimis Geographis notum. Qui illud mare, quod ſupra Rubeas & Scandiam eſt, Cronium dixerunt ab ei adjacente Cronia ſive Saturni inſula, quam etiam Ogygiam vocarunt ut ex Plutarchi libro de imaginibus in Luna patet. Barbari eam hodie Secanungam appellant. Croniæ Islandia imminet Sola ibi celebris inſula. Nam Friſlandiam, Porlandiam, Stanesſol, Bodendon, Griſlandiam, Talas, Broas, Iſcant, Trans, Mimant, Damber, Bres, Eſtotilandia, merum Zenorum vel qui eos corruperunt, commentum eſſe, poſt tot annorum errores, docti jam tandem auſi ſunt aſſerere. Præivit ſuo exemplo Arngrimus Islandus qui non potuit non vicinas Islandiæ ſuę inſulas noſſe. Ipſi quibus paruiſſe dicuntur, Norvvagiæ Reges eas ignorant. Et tamen Geographi, credo ne detur vacuū, obtrudunt nobis Friſlandiam cum urbibus ſuis & famoſo Rege Zichmi, eadem plane fide qua Diotymus, Strombychi filius è Cilicia per Cydnum in Choaſpen fluvium Suſas præterfluentem ſe navigaſſe ſcripſit. Tales errores in tanta luce expungendi ſunt ne impoſtorum commenta pro veris habeantur à rerum imperitis.

Nec

Nec sufficit cum Grotio dicere: *nisi forte est pars aut Islandiæ aut Gronlandiæ.* Nam plane non est nec in Oceano nec ad continentem talis terrarum facies quæ Zenorum relationi respondeat. Qua vero fide Islandiæ assuetur cujus quatuor *Fiordung* omnibus incolis notissimæ sunt? De Estotilandia vero quam lepide fabulantur. *Milliaria amplius mille versus Occidentem à Frislandia abesse, insulam Islandiæ ambitu parem & multo amœniorem. Regi Bibliothecam Latinis libris instructam, genti peculiares literas.* Credo ibi amissas Livii Decades vel Taciti Annalium libros extare: quod quamprimum inquirendum. Porro Islandia haud dubie veterum decantata Thule est, in qua hodieq; nomen oppidi Thiles Norvvagiam versus extare in Chronico Zelandiæ Eyndius tradit, qua fide ipse viderit. Hæc adhuc Plinii ævo terrarum ultima: quod de Schetlandia, multominus Tilemarchia dici non potest, cum Romani jam ante illud tempus omnem Scandiam usque ad Rubeas promontorium hodie *Noordkyn* & Scythicum Oceanum circumvecti sint. Pytheas Massiliensis ejus situm exacte designat apud Strabonem, dicens *Thulen à Britannia sex dierum navigatione versus boream abesse.* Quo quid clarius pro Islandia dici potest? Nam Schetlandia vix bidui navigatione à Britannia abest, nec boream versus sed in Orientem sita.

ta. Ac vel ex ſola hac narratione patet quantus in peregrinatione vir Pytheas fuerit, quem toties iniquiſſimè Strabo erroris arguit, ſola Clariſſimi viri invidia. Qui à Gadibus uſque ad Tanaim omnem Europam Septentrionalem luſtravit. Et fruſtra Polybius privatam ei vitam ac paupertatem objicit. Nam neque hodie ſoli divites peregrinantur & aliorum inſtructus eſſe potuit ſubſidiis. Thule igitur Iſlandia quicquid Arngrimus contra nugetur. Nec tamen dixerim ſolam in veterum ſcriptis Iſlandiam Thulen vocari. Multis omnino in Septentrione locis nomen illud tributum. Igitur fruſtra Ionas diverſam apud Ptolemęum ab Iſlandia Thules latitudinem objicit, & alia ex incerto petita. Complures enim veterum Thulæ: & quod de una verum, de altera negatur. Poëtæ hoc nomen pro lubitu regionibus ad boream parum cognitis imponunt. Sicut cum de Oriente agitur ſtatim ad Indos ſuos, Gangen & Hydaſpin excurrunt. Et demus incultam ante Ingulfum Iſlandiam fuiſſe, an propterea nunquam ſub Thules nomine de ea loquuntur poëtæ? Nam quia Thule etiam Britannia & Orcades de his intelligendi ſunt cum incolarum ejus meminerunt. Contra ubi terrarum ultimam & ſex dierum navigatione infra Britanniam jacere dicunt, quis neget de Iſlandia ſermonem eſſe? Quid quod certa indicia

dicia ſint Iſlandiam ante Norvvagos variis gentibus frequentatam? Nam Crantzius in Norvvagiæ prologo teſtatur, poſt ſubactam ab Hengiſto Britanniam Friſios in Iſlandia & Friſlandia conſediſſe. Cujus fidem ſiquis in dubium vocet ob fabuloſam Friſlandiam, is Arngrimum audiat; qui *varia ſigna cultus humani, nolas, cruces ligneas & alia opere Irlandico ac Britannico Ingulfum ibi reperiſſe teſtatur.* Vnde colligit Irlandos, Scotos, Anglos jam olim ob uberem piſcaturam in eam navigaſſe. De his anniverſariis Iſlandiæ quam Thulen vocarunt, habitatoribus, aliquid inaudiviſſe veteres, præſertim poſt Britanniam Romanis cognitam, quis dubitet? Vt igitur concludamus, multæ omnino Thylæ. De Tilemarchia Norvvagiæ loqui Procopius ſecundo Gotticorum videtur cum *Herulos in Thylen habitatum veniſſe* refert. Orcades vel Schetlandias Tacitus innuit in Agricola: *diſpecta eſt & Thyle.* Rem igitur recta putantibus, manifeſtum erit borealem illum Europæ tractum non leviter cognitum priſcis fuiſſe. Certe ſi Cronia, quod probavimus & Dalechampio quoque ac Cluverio placet, Cronlandia eſt, diu ante Norvvagos cognita fuit. Tradunt illorum annales, demum A. Chr. IↃCCCCLXXXII. ab Erico Rufo detectam, nomen *Grunlandiæ*, quod terra ibi perpetuo virens ſit ac florida, accepiſſe,
ſicut

ſicut in porticu quadam Bibliothecæ Vaticanæ legitur. Quod nemo credet cui nives illæ & æterna fere glacies earum partium ex nautarum relatione innotuerunt. Maſſilienſis Pytheas, primus nobis Hyperboreos & Riphæos aperuit, nec ulla erat cauſa cur eum Strabo propterea mendacem vocaret. Nam & terras ibi & altiſſimos montes & varias gentes eſſe, à Ruſſis compertum. Hi Riphæi & Hyberborei antiquiſſimi ſunt Croniæ habitatores, id eſt Fenni, Lappones, Samojedi, Caroli. Vnde Mela duplices Riphæos facit, cis & uls Riphæum montem. De quibus priſci multa etiam fabuloſè & olim integer de iis Hecatæi liber extitit. Fuiſſe in Gronlandia homines antequam Norvvagi eò venirent, exinde patet, quia hodieque in ea reperiuntur qui nihil cum Norvvagis commune habent, vultu, lingua, moribus, diverſis; Tataris, Samojedis, Lapponibus, Americanis etiam borealibus lineamentis & habitu corporum ſimillimi. Ivorus Boty Gronlandus Norvvagicæ originis, qui jam ferè ante tria ſecula eam regionem deſcripſit, & cujus narratio apud Purchaſium extat, teſtatur *Occiduam ejus partem incolere Skerlingos potentem nationem & Norwagis infeſtam.* Hos alii *Screlingers* vocant, & Samojedis comparant. Sunt enim gens vaga, piſcatione & venatu victitans, colore fuſco. Colunt

Solem.

Solem. Non ſunt homiedones ſed crudos cibos vocant, neque igne ad coquendum ſed contra frigus utuntur. Forbiſſerus ad fretum ſui nominis, vidit *barbaros lata facie, depreſſis & ſimis naribus, longo & nigro capillitio, colore olivaſtro.* Alii *raras barbas & complura Samojedis ac Tataris communia* obſervarunt. Ducti ex Gronlandia in Daniam nihil à Borealibus Americanis differre videbantur. Habemus igitur ejuſdem in Samojedia, Nova Zemla, Lappia, Cronia & America originis homines. Vt de migratione Scythica per occidentem dubitare nemo poſſit cui ſimilitudo inter Samojedos, Gronlandos & Americanos cognita. Quæ omnia de Gronlandis Norvvagicæ originis dici nequeunt. Nec homines modo verum etiam animalia novæ Zemlæ, Gronlandiæ & Septentrionalis Americæ conveniunt. Vbique ingens alborum urſorum piſcibus victitantium copia. Quos ex Gronlandia in Americam veniſſe inde patet, quia in auſtrali parte & circa fretum Magellanicum nulli reperiuntur. Ac ſolere id ferarum genus per glaciem vel fruſta ejus aquis innatantia commeare illi referunt qui Septentrionalia maria navigare ſolent. Ita in Iſlandiam quoque veniunt ubi *nulli reperiuntur niſi cum glacie Gronlandica advehantur*, quod Arngrimus contra Bleſkenium aſſerit. Leſcarboto admodum veriſimile videtur

tur *alces ex Septentrionali Europa ad terram Laboradoris, Canadam & Souriquosios per arctoam plagam tranasse.* Nescio unde hoc hauserit Bilibaldus Pirckhaimerus, in Germania vetere. *Veniunt* inquit *quotidie à Septentrionibus terraque incognita ac à mari glaciali, homines quidam barbari, Caroli vocati, mercimoniorum gratia cum magno exercitu in Gronlandiam & ut pro comperto habetur, ex altera parte poli Septentrionalis.* Gronlandiam Americæ continentem esse Anglorum navigationes docuerunt. Sed ingentes sinus & patentia maria in illam continentem penetrant, ad summam usque latitudinem arctoam. Neque tamen exinde necessario sequitur per regiones illas horridas & profunda nive obsitas barbaros illos, quanquam ingenti corporum duritie, transmigrasse. Imo quia omni pene anni tempestate regiones illæ glacie horrent, eo facilius Samojedæ illi frigoribus adsueti per concretas undas ultra tendere potuerunt, quanquam certum sit difficilem & longinquam viam & mille difficultatibus obseptam. Qualis sub ipso polo terrarum mariumq; situs, hactenus rerum omnium conditor occultum mortalibus esse voluit. De magnetica rupe & insulis circum maximis quæ commentus est Anglus quidam Oxoniensis & ex eo Giraldus Cambrensis in suo de mirabilibus Hiberniæ libro, referre piget. Magna

ibi naturæ miracula & nemini hactenus cogitata latere dubium non est. Batavi gradum LXXX immortali cum gloria superarunt. Quibus Deus quicquid uterque polus adhuc atra nocte premit, quicquid exteriora Asiæ vel abscindit America vel jungit, quicquid immensæ Magellanicæ, detegendum reservasse videtur.

CAP. VII.

Grotii opinio de Norvvagorum in Americam migratione refellitur. Rationes à lingua, tempore, religione, frumento. Tlan non est Lant. *Norimbega fabulosa. Teut, Pagod, Guayra. Llame, Tophos, Peke, an Norvvagica.*

CÆterum hic viam Hunno Scythis nostris Islandica sua in Americam transmigratione intercipit magnus Hugo, cujus viri doctos errores audire non magna caret voluptate. *Omnes ferme populos* inquit *qui cis Isthmum sunt Panamæ, ex Norwagia ortos arbitror.* Ex Norvvagia in Islandiam, ab hac in Gronlandiam, inde Frislandiam & Estotilandiam partem continentis Americæ ventum vult. Parum abfuit quin tanti viri auspiciis & authoritate Norvvagi Hunnos nostros ac Phœnices America pellerent, nisi alter ille post Columbum novi orbis vindex clarissimus Latius obstitisset. Rationes hunc errorem expugnantes hæ ex præcipuis sunt. Quia ratio nulla reddi

di poteſt, cur non Iſlandi equos ſtatim & boves traduxerint ex Iſlandia in Gronlandiam, atque inde in Americam. Nec apparet quare in Gronlandia potius & America quam Iſlandia ſermo Norvvagicus penitus exoleverit ac tam brevi tempore in tot diverſiſſimas linguas mutatus ſit, cum contrarium plane obſervetur in Europæis linguis; quæ licet multæ ſint, tamen aperta originis ſuæ veſtigia retinent.

Deinde obſtant Norvvagorum & Iſlandorum traditiones. Nam Chichimecæ jam ante annum IↃCCXX ad lacum Mexicanum pervenerunt. Iſlandia autem demum A. IↃCCC LXXIX coli cœpta, à paucis primo familiis Tyrannidem Haraldi Harfageri fugientibus, poſtea demum plures acceſſerunt. In Gronlandiam demum Anno IↃCCCCLXXXIV. ventum. Ex quo ſane conſequitur Septentrionales Americanos aliunde quam ex Norvvagia & per Iſlandiam veniſſe, cum Chichimecę antiquiores Iſlando Norvvagis ſint, Navatlacæ Gronlandis, & Mexicana cum vicinis partibus jam incolas ſuos habuerit antequam Norvvagi Iſlandiam adirent. Et quis credat tam vaſtum continentem inter ſex ſeptemve ſecula Iſlandos gentem non magnam implere potuiſſe? cum illis longo tempore opus fuerit ut ſolam inſulam ſuam etiam raris habitatoribus colerent. Ethnici tum Norvvagi cum

in Islandiam migrarent, paulo tamen post Christiani facti. Sed quis præstabit Islandos ante receptum Christianismum aliò emigrasse, aut insula sua nondum perculta, quod paucis annis fieri non potuit, alias sedes & quidem majori frigori obnoxias, tanto circuitu quæsivisse? præsertim per Gronlandiam & boreales terras adeo horridas, quas absque summis difficultatibus & non nisi longo tempore transire non datur. Longe probabilius esset credere ipsos Norvvagos, Danos, Suedos, Anglos, Cambros, Hibernos, qui omnes egregii navigatores illius Oceani diu ante Islandos fuerunt, rectà ad continentem illam delatos quam Islandos longo & difficili per ipsum fere polum circuitu. Est & aliud non leve argumentum gentes illas non venisse ex Norvvagia, quia ante Hispanos nullum ibi frumentum Europæum, sed tantum Maizium Asiaticis familiare, & quia Mexicani ebrietatem vehementer abhorruerunt ac severitate legum castigarunt. His atque aliis rationibus removentur Norvvagi, ne Hunno Scythis obstent. Quod argumenta pro Norvvagis attinet, illa rem non conficiunt. Terminatio vocabulorum *tlan* non est ex Germanico **Lant**/ sed multis rebus communis quæ nihil minus quam regionem significant, ut *Ocachitlatz intlan* magis infra, *Tenoxtitlan Tunale* supra petram.

ſtam. De Norimbega quod dicitur, ſciendum primo Mexicanos nunquam in ea fuiſſe qui ab occidente vel Coro per Californiam & Teuculhuacan profecti, ut infra oſtendetur. Deinde fabuloſa eſſe quæ de Norimbega quidam narrant ex eo patet, quia hodie in illis partibus neque hujus neque alterius oppidi veſtigium extat. Tractus ille à barbaris aliquando *Aggunæa* dictus, nomen cum ducibus crebro mutat. De vocabulis in univerſum reſpondetur; nullum à Grotio productum, quod vere Germanicum eſſet. Non *Teut* quia Mexicani non habent commune nomen quo Deum appellent. *Pagod* nuſpiam in univerſa America notum, Indorum Orientalium eſt. *Guayra* & *Llame* ad Peruanos pertinent, & illud furnillum non flabrum; hoc animal diverſum ab ove notat, quod nihil commune cum noſtro *Lam* habet niſi quod quadrupes ſit & lanam geſtet ſui generis. *Tophos* pro capitis tegmine nuſpiam occurrit. *Topes* Peruanis fibulæ ſunt quibus mantilia connectuntur. Nec *Peke* Mexicanis torrens ſed *Atlauhtli* & illa in pes, peque ſeu peke terminatio montibus etiam & aliis rebus quibus nihil cum torrente commune, tribui ſolet. *Tepeque* Mexicanis mons, & nunquam terminatio in *peque* ſine *te* occurrit.

CAP. VIII.

Norvvagi in Americæ parte Gronlandia. Ejus notitia periit. Navigatio in Gronlandiam glacie obstructa. Canes loco jumentorum. Rangiferi. Siberi in America. Linguæ Finnicæ & Brasilianæ affinitas.

CÆterum non plane negatur etiam quosdam ex Germania aut Norvvagia in Americam venire potuisse: quod potissimum de populis illis, quos arctos despicit, probabile. Nam, ut dictum, Islandi in Gronlandia coloniam condiderunt, cujus pagos describit Ivorus Booty & Arngrimus. Fuerunt autem homines non multi & ad oram fere maritimam. Itaque si Gronlandia Americæ pars & continens, jam partem Americæ à Norvvagis cultam habemus ut recte Grotius colligit. Nec illud negatur quod subjungit: *Quid illos Gronlandiæ insessores impediit ne longius & per lata terrarum spatia genus suum propagare?* Nam & in vastissimo illo Septentrionis tractu quem Gronlandiæ adscribimus, genus suum propagare potuerunt. Quod tamen adeo incertum, ut hodie neque in Gronlandia neque partibus Americæ ei vicinis ullum Originis Norvvagicæ indicium exstet. Quid igitur illis factum? dices. Non aliud possum, quam non liquere. Periit enim Gronlandia Norvvagica vel homines in ea Norvvagi, quo casu incertum.
Audia-

Audiamus Ioh. Isacium Pontanum in Historia Danorum. Refert is, Helgelandam, VVestenoram, Islandiam, Feroam, Findmarkiam, Gronlandiam olim Regis & Reginæ Danorum proprias fuisse, nec aliorum nisi Regis solius classibus frequentari solitas. Postea intermissam hanc anniversariam navigationem duas imprimis ob causas. Quippe A. Christi CIↃ CCC XLVIII. sævam ac diram per omnes propemodum orbis plagas pestem grassatam, qua imprimis Dania exhausta fuerit. *Et sunt qui tradant* inquit *post eam epidemicam luem fuisse intermissam ac neglectam, quæ ad oras Gronlandiæ solennis antea & annua fuerat, incolarum regni navigationem.* Deinde *immensam paulatim ex Trollebottis glacierum copiam coacervatam fuisse, quæ nunc impedita omnia & difficilia reddat: adeo ut vix nisi à parte insulæ qua Libanotum borealem spectat, terram hodie, quamvis & id subinde difficulter, detur contingere.* Sic igitur glacialibus montibus obstructi ferè omnes Gronlandiæ portus notitiam ejus nobis ademerunt, ut Norvvagos in ea vel extinctos necesse sit vel ad interiora migrasse. Porro hæc per glacialem Oceanum in Americam via etiam nupero Geographiæ scriptori Georgio Fournier non displicet, cujus verba sunt: *Per illud æquor stratum glacie & per insulam Vaigast è nova Zemla cum incolæ plures trajiciant quotannis in Mosco-*

 viam

viam ut cum Samojedis & Tataris mercaturam faciant, ut certis constat relationibus, non est quare dubitemus de transitu & origine Americanarum gentium, cum in his partibus Europa & Asia exiguo tantum freto à nova Zemla parte Americæ separentur, nec opus sit navibus, ursis & animantibus cæteris, quæ per glaciem incedentes perveniunt in Spitsbergam, ursorum insulam & plures alias à continente distinctas, decies majori spatio quàm nova Zemla à Moscovia distat & Tataria, vel Spitsberga à Gronlandia & Gronlandia ab America. Hæc omnia fidem transmigrationis Hunno Scythicæ per Orientem faciunt. Quo & alia accedunt neutiquam prætermittenda. Vt quod populi supra Cibolam canibus instar jumentorum utantur, cujus rei testis oculatus Franciscus Vasquez de Coronado. Idem apud Gronlandos Martinus Forbisserus A. Christi CIↃ IↃ LXXVII. vidit. Idem Siberi Russiæ, & omnes ad Oceanum glacialem Fenni ac Lappones, faciunt. De quibus Venetus intelligendus cum inquit: *In regione Septentrionis, canes maximos asinorum instar, rhedas trahere.* Illi canes Rangiferi sunt, vel non multum dissimiles. Prisci cervos vocant dum scribunt: *Esse Scytharum gentem quæ cervos equitet.* Sunt enim cervis simillimi. Igitur Siberi, Fenni, Lappones, Caroli, ea qua diximus via, per Occidentem in Americam venerunt, atque ibi

late

late dispersi sunt. Quemadmodum *Siberos* in Plata habemus, Scheriis per omnia similes teste Vlrico Fabro, In Navigatione Petri Manchossæ. Ex quo barbatos esse consequitur. Ad Magellanicum fretum barbari Samojedis & Lapponibus simillimi, quod Linscotius notavit. Et quod mirandum, Lingua Brasiliana cum Fennica magnam omnino convenientiam præ se fert. Nam ut nihil de eo dicam, quod utraque lingua caret F ie mutam cum liquida perpetuo fugit, illud omnino memorabile est, quod & Brasiliani, & Fenni præpositiones suas semper nominibus postponunt. Apud Brasilianos *Pê* est in, *Taba* vicus. Vnde fit composita vox *Tape* in vico; contracte pro *Tabape.* Vt manifestum sit, præpositiones Brasilianas imitari rationem suffixorum Ebraicorum: idque apud ipsos ac præterea Finnos tantum receptum est.

CAP. IX.

Hunnorum in Americam adventus per Orientem. Argumento à feris & avibus. Asia borealis & America alicubi coëunt. Nova Albion & ejus frigus. Tractus ille suspectus. Asia & America freto divisæ. Fretum Anian. Asiæ supra Tatariam facies. Ex Vincentio. Plinio. Rubruqui. Rußis. Tataria usque ad LXX. *gradum extensa.*

HI per occidentem venerunt. Alii & longe quidem major pars, per Orientem:

ubi & via brevior & regiones magis habitatæ. Quam viam nos animalia docent. Quippe tota America, maximè Septentrionalis, Leonum, Cervorum, Tigrium plena. Quæ cum nec inGronlandia nec Magellanica deprehendantur: necesse est per Orientem ex Asia venisse. Nam in Scythia nullum frequentius animal quam cervi, qui etiam maria tranant, Solino; in Hyrcania Tigridum ingens numerus, Marcellino. In Tataria Leones, ursi, cervi, Veneto: quas feras Tatari eam regionem occupantes sagittis suis expulerunt, ut apud Purchasium legitur. De Scythia Plinius libro sexto: *Iuxta vastæ solitudines ferarumque multitudo, iterumque deserta cum belluis.* Incognita nostris oris animalia, per eandem Tatariam venisse in Americam necesse est. Quis dubitet in illa magna Asiæ supra Turquestanam, Sinam, Russiam, parte, nobis nondum cognitas animalium plurimorum species latere? Nam Acosta nodum non solvit, dicens: *Sic Deum animalia distribuisse ut quædam communia toti orbi, quædam singulis peculiaria partibus essent.* Quis enim credat toto orbe nostro ita migrasse ea, ut nulla soboles remanserit? Nec aliunde pulcherrimarum avium tanta copia in Americam venit, quam ex Tataria. Vbi & aquilę, & inErgimul innumeræ aves pretiosissimarũ: pennarũ: & in Insulis interTatariam& Americã falcones.

cones. De quibus passim Paulus Venetus fide dignus rerum Tataricarum testis.

Et quanquam Septentrionalis ille ad Orientem Asiæ & Americæ tractus nondum exploratus sit: Illud tamen Russorum, Hispanorum & Anglorum navigationibus ac itineribus cognitum est: *ab Obi usque ad Tingœsios & Peisidam continue in Septentrionem Asiam magis magisque procurrere. Auditos ad Peisidam campanarum sonitus, & visas Indicis similes veliferas naves.* Vt ibi Tataricum mare navigabile: nec de navigatione per Novam Zemlam usque in Sinas desperandum sit. *Americam quoque versus Septentrionem, à promuntorio Mendocino in immensum extendi.* Quod prima Draci navigatio luculenter probat. Qui à Novæ Hispaniæ portu Quatulco longissime Orientem & Septentrionem versus per XLVIII. continuos dies à XVI. Aprilis ad III. Iunii navigavit, donec in Novam Albionem, sub gr. XLII. incideret. Vt illas terras supra Californiam oporteat per immensa spatia versus Asiam & Tatariam flecti: sive jam sit continens sive insula. De quo ne Draconi quidem constare quicquam potuit. Quanquam Albionem, ejus Navigationis scriptor, insulam vocet: eodem forte sensu quo & Panamam, & alia continentis loca, insulas vocat. Sed quod de ingenti frigore scribit, æstate media, dubitare nos cogit,

fuerit

fuerit ne ipsi latitudo XLII. graduum exacte cognita. Nam frigus tam penetrabile regionibus ejus climatis convenire nec per naturam nec experientiam potest: Cum quo acriores sunt in Septentrione hyemes; eo æstas quoque intensior esse soleat. Sunt qui totum illum Americæ tractum suspectum habent. Purchasius Tomo tertio: *Hispani inquit fingunt fretum Anian, Cibolam, Quiviram ac amplissimas regiones versus Asiam extensas, ut ita omnem spem Anglis & aliis inveniendi fretum adimant. Promuntorium Mendocino in Mappis* CIↃ IↃCC. *leucas à promontorio australis Californiæ distat, cum Franciscus Gualle Hispanus apud Linschotium fateatur vix quingentorum milliarium esse distantiam.* Divisas freto Asiam & Americam, navigationes Batavorum Zemlanæ aliquomodo ostendunt. Nam duplex in Nassovico freto æstus, concurrentesq; Occidentis & Orientis undæ Linscotio observatę: quemadmodum in Magellanico & Baltico freto navigantibus evenire solet. Et enavigato Vaigats alius Oceanus aquis salsis & cœruleis occurrit. Franciscus Gualle fretum inter Americam & Tatariam his notis deprehendit. Quia cursus Maris Pacifici qui per CCC. millia passuum duravit, circiter CC. M. passuum à Nova Hispania cessat. Deinde quia in eo mari Atunæ, ceti & alia piscium genera, quæ frequenter circa freta versari solent, inveniuntur.

niuntur. Quis author fuerit freti Anian quod vulgares Mappæ heic tanquam exploratū expingunt, non constat. Quisquis ille fuit commentum suum orbi obtrusit. Nam quo minus tale fretum admitti queat, faciunt relationes illorum qui regiones illas extremæ Tatariæ magna cura lustrarunt. Quales Rubruquis & Venetus sunt. Nam si fretū ibi & quidem *tam* angustum, negari non potest, accolis ei notam fore oppositam continentem Americę. At hujus nullibi meminerunt. Quanquam Oceani magni, & insularum in eo crebro meminerint. Qualis Asiæ supra Sinam & Tatariam facies sit, ex Nubiensi, Rubruquis, P. Veneto, Planocarpo & Vincentio, satis compertum est. Cingitur enim Oceano, ultra quem insulæ sunt ac aliæ terræ. Nubiensis parte x. clim. I. *Terra Iagog & Magog terminatur à Septentrione mari Oceano & ultra eum est Terra inhabitata.* Vincentius ex Planocarpo: *Mongal ad Septentrionem Oceano circumdatur.* Venetus: *Supra Carocoram Bargu longitudine* XL. *diætarum. Incolæ Meditæ. Emenso* XL. *dierum itinere ad Oceanum pervenitur, in quo sunt insulæ, unde aves Grifalci ad Chamum afferuntur.* Ac veteres quidem, Plinius, Strabo, nunquam dubitarunt Oceano Asiam Septentrionalem ambiri. Plinius: *Insulæ toto eo mari multæ, vulgata una maximè Tazata. A Caspio mari Scythicoque Oceano in eam*

cursus

cursus inflectitur. Tum ipsam Scythiam borealem eleganter describit: *Inhabitabilis ejus prima pars à Scythico promontorio, ob nives. Proxima inculta sævitia gentium. Anthropophagi Scythæ insident humanis corporibus vescentes. Ideo juxta vastæ solitudines ferarumque multitudo haud dissimilem hominum immanitatem obsidens. Iterum deinde Scythæ, iterumque deserta cum belluis usque ad jugum incumbens mari quod vocant Tabin.* Rubruquis omnium accuratissimè: *Su Moal, id est Moal aquatici habitant versus Orientem. Versus Septentrionem sunt Kerkis populus pauper alens pecora. Orangei quoque ibi sunt populus Septentrionalis, qui suppositis pedum plantis ossibus celerrime super iis per glaciem currunt, ita ut etiam bestias velocitate assequantur & capiant. Plures ibi populi sunt versus Septentrionem quamdiu ob frigus habitabilis plaga est. Ad occidentem est regio Pascatir quæ est Hungaria major.* Addit: *Taute & Manse populus sunt qui inhabitant insulas Oceani glacialis, ita ut Tatari possint eos hieme per glaciem invadere.* Observatũ fuit ab eodem, omnia flumina extimæ ejus Tatariæ ab Oriente in Occidentem fluere, & quo magis in Septentrionem progressus sit, eo magis se adscendisse, nunquam descendisse. Ex quibus patet, terras ibi in Septentrionem longissime protendi. Russi exploratum missi Asiam ita retulerunt: *Kitta est fluvius Tatariæ ad quem regnat Rex Altinus.*

Ibi

Ibi multæ sunt Vlusses sive Hordæ Tatarorum. Post longum iter pervenitur ad amplissimam regionem Mugalla quæ se à Bugar Bactriæ extendit usque ad Oceanum. Inter Bugar & Mugalla ad austrum sunt tres regiones, Ortus, Talgut, Shar. Mugalli distinguuntur in nigros & flavos, quos amplissimus murus disterminat. Extra eum sunt nigri Mugalli, intra in regione Cataiæ albi. Ex quibus omnibus patet quousque in Septentrionem Tataria procurrat. Nam usque ad LXX gradum eam protendi necesse est. Id quod sic conficimus. Sina ad gradum ferè XLV terminatur. Vsque ad L excurrere Mogoliam ponamus. Supra Mogol Bargu XL dierum itinere in Septentrionem protensa, quod spatium XX circiter gradus conficit si unius diei iter tantum Octo mill. pass. definias, quod pro earum regionum ingenio parum est. Navigatum à continente Bargu ad alias insulas illius Oceani Venetus tradit. Vltra tendentibus ipsa jam occurrit America. Vt ex Asia per Orientem adiri aliter quam navibus America non potuerit. Isthmo Asiam & Americam connecti Athanasius Kircherus in Copto suo his verbis tradit: *Cathaiam majorem per immensa spatia in extremo Septentrionis angulo Americæ Isthmo quodam conjungi ego Mathematicis rationibus pene convictus existimo.* Ratio certe illa neque Mathematica neque Historica esse potest rebus nondum ple-

ne exploratis. Plures cum Strabone Scythiam Septentrionali Oceano terminari ſtatuunt, & abſcindi ab America. Grotius: *perpetuum intercedere fretum magis credo.* Latius: *Omnino veriſimile eſt ad promontorium Tabin aut Cataiam anguſto freto continentes dividi.* Idem Gaditano aut Magellanico non vult eſſe patentius. Conſpirant Geographi qui ei etiam nomen *Anian* imponunt, qua authoritate vel fide incertum. Authores ſupra citati & qui regiones illas cum cura luſtrarunt, maris & Oceani, nullius vero freti meminerunt.

CAP. X.

Duplex Hunnorum in Americam adventus per Orientem. Primus cui cauſam Anthropophagi præbuerunt. A quibus Tabieni, Apalæi, Maſſagetæ & Machutegæ in Americam expulſi. Secundus. Hunni iidem cum Cunadanis. Vnadchan. Hurones. Chontales. Alabardi. Alani in America. Ingæ.

HVjus generis duas imprimis Hunnorum in Americam migrationes deprehendimus. Prima, cujus apud Plinium & Solinum veſtigia ſuperſunt, antiquiſſima. Referunt enim, *ab Anthropophagis Scythis, uſque ad Tabin, omnia deſerta fuiſſe; quod ejus gentis ferociam ſuſtinere nemo poſſet.* Hæc deſerta Tatariæ non ignoravit Paulus Venetus cujus verba ſunt: *In maximo tractu inter Orientem & Aquilonem habitationes*

bitationes non inveniuntur ſed tantummodo feræ. Igitur qui olim ab Anthropophagis ad Tabin uſque habitabant, partim exciſi, partim fugati ſunt. Nec fugientibus propior terra, quam ingens & littoribus oppoſita America. Magnam hanc complurium populorum migrationem fuiſſe, ex terrarum ſpatio patet. Totam rem Marcellinus his verbis proponit: *Anthropophagi humanis corporibus victitantes; quibus ob hæc alimenta nefaria deſertis, finitimi omnes longa petiere terrarum. Ideoq; plaga omnis Orienti æſtivo objecta, uſque dum venitur ad Seras inhabitabilis manſit.* Hæc ille. Quinam illi ab Anthropophagis fugati in alias terras populi fuerint, mirum non eſt ignorari. Duorum tamen nomina exuimus, Nam *Tabieni* & *Apalæi* inter eos fuiſſe videntur. *Tabieni* apud Ptolemæum ſunt, à quibus proculdubio promuntorium celeberrimum Tabin dictum. *Apalæos* Solinus Maſſagetis conjungit, & Plinius ſuo ævo ſuperſtites fuiſſe negat. Ipſorum enim in Aſia memoriam interiiſſe. Non quod omnes deleti: ſed quia ſedes mutarunt. Quorſum migrarint diu quærendum non eſt: habemus enim in Florida *Apalatcos* ſive *Apalchenos* quos ab his Apalæis ortos ipſum, præter alia, nomen arguit. Peruvia *Tambos* hominum ejus gentis ut ipſi tradunt antiquiſſimos, propaginem Tabienorum oſtentat. Et quia propin-

qui Apalæis Maſſagetæ, etiam hos tum temporis in Americam pari caſu veniſſe crediderim. *Mazatecæ* enim una ex quatuor antiquiſſimis Novæ Hiſpaniæ gentibus. *Maſſachuſetæ* ſunt in Nova Anglia, vel ab his Maſſagetis vel Machutegis orti, quos ad montem Noroſſum & Iaxartem Ptolemæus locat, vel à Mazacis quorum Rex Curtio & Straboni Aſſacam. Zoques in Guahutemalla, Zacatecas in Nova Gallicia habes qui Sacas nomine referunt.

Secunda recentior, ſed omnium copioſiſſima & celeberrima, in qua Hunni, Alani, Avares, Turcæ, Tatari, Mogoles, Gothi, Parthi & aliæ gentes, quarum expreſſa paſſim memoria extat, in Americam venerunt. *Hunni* gens tam fœda, ut non injuria Diabolus ab Ægyptiis *Chuni* dictus fuerit, primo ad extremam Aſiæ oram conſederunt: ubi *Cunad*, & *Vng*, Mogolis vicina. Cunadanos eandem cum Hunnis gentem fuiſſe ex eo patet; quia Hunni quoque Mogoles dicti; & ſic in Hungaria ſe ipſos vocarunt. Veneto Funotiani vel Cunchi dicuntur. Et inter Tataros nationem fuiſſe quæ *Vngrac* dicta, idem Venetus teſtatur. De quo propterea minus dubitandum eſt: quia illos Hunnos adhuc circa A. Ch. CIↃ ſub ditione Magni Presbyteri Iohannis fuiſſe (ita enim cum vulgo nominare eum placet) ex Zaccuth

& Vene-

& Veneto conſtat. Quippe cujus titulus *Vnad-han*, *Altunchan* ſive *Vncam* : quod Imperatorem Cunadorum ſive Vnorum notat. Arcladana Metropolis *Vnchian*, proculdubio à conditoribus Vnis; & *Funotian* Provincia, quemadmodum Hunnos & Funnos appellamus. *Cuchan* Quiviræ vicina ex *Vnchian*, vel *Vgan*, cujus circa Cialin Benedictus à Goes meminit. Inde in Canadam ventum & Huroniam. *Cuni*, *Vni*, *Hunni*, *Cunchi*, *Funoti*, *Cunadi*, *Canadi* eadem gens. Nec magis hæc nomina different quam Chatti & Haſſi, Meſſene, Meſſana. *Huyrones* populi Mogolibus vicini apud Vincentium in ſpeculo Hiſtoriarum. Ab his Hurones Novæ Franciæ & Vri ad Titicacam Peruviæ. Quorum in Contriguris & Vltizuris Hunnorum populis clara memoria extat. Nam *Vri* qui & Ori ac Oritæ Indiæ populi apud Plinium huc referri non poſſunt. *Conchi* Novæ Mexicæ à Cunchis Tatariæ. *Cinaloa* ex Ciali. In Nicaragua *Chontales* habemus, gentem ex Conchis ſive Conis & Alanis mixtam. Ita enim fieri ſolet in confuſa populorum migratione, ut in unum conflentur nomina. Et inde Gothalanorum, Roxolanorum, Taifalorum, Cialorum nomina fluxerunt. Ex Hunnis & Avaribus apud Iornandem Hunnivares ſunt. *Alabardi* ex Alanis & Parthis. Alani ad Gangem uſque à Tanai extenſi, in Tataria

quoque extrema consederunt, inter Cotan & Tangur, ubi Helan est Mogolum Horda, apud Armenium Haitonem. Ex qua etiam originem trahunt *Vlani* Tatari, quorum nunc sedes in Taurica Chersoneso. Michovius à Rege Vlan dictos vult, quo duce in Tauricam venerint. Sed nomen antiquius est. Inter præcipuas nationes quæ in Chersonesum venerunt, referuntur Mangutenses, Vlani, Bachinienses. Mangutenses sunt Mogoles. Quibus vicina Helan unde Vlani. Bachinienses ex Paquin sive Cambalu Citaiæ. Igitur Alani ex Tataria cum aliis in Americam migrantes, & Chunis permixti, Chontalorum nomen tulerunt in Nicaragua. Sicut iis vicini *Pipeles* & *Celtales*. In Florida sunt *Otapalli*. In Peruvia *Atabalii* & *Tallanes*. Ingarum clarissima & antiquissima natio, ab Vngis Tatariæ profecta. Cujus & in Iaponia, ubi *Fingo* & *Fiunga* regnū & in utraque America mentio. *Coringa* supra Xalisconem. In Popajana *Quilla Cingæ*. In Peruvia *Yncaian, Ingæ* & *Ingri*. Titulus Regum apud Tataros Vnchan & Zingis, apud Turcas Huncar. Falso Ludovicus Tubero in commentario de Temporibus suis *familiam apud Turcas regiam Hunchariam appellatam* vult. Non enim id familiæ sed dignitatis nomen. Inter Scythas *Aarinchi* & *Sinchi* apud Marcellinum. In Platensibus Provinciis *Chanes, Chanaßi, Cheriguanes*

nes, *Connaneques*, *Chunchi Calchini* : & *Chanc-rum* diversa genera *Barkoni*, *Zeibanni*, *Karchko-ni*, *Peibenni*, in Navigatione Petri Manchoſſæ. ipud Vlricum Fabrum. *Calchini* eadem cum Chontalis gens, niſi quod hic Alani primo lo-co poſiti. In Braſilia populus Vnitan : à Ca-nadanis vel potius ipſis Vnnis. Ita emenſo continente Meridionali per fretum in Magel-lanicas inſulas ventum : ubi inter quinque na-tiones *Enoos* ſunt , procul dubio ab Hunnis. Cæteri à Turcis & Tataris. Hæc origo Hun-nica.

CAP. XI.

Parthi in America. Eorum nomen latè ſparſum. Alabardi in Florida. Diverſi à Longobardis. Lingua Parthica Germanica affinis. Parii.

PARTHORUM in utraque America gen-tes ſunt, *Alabardi* & *Parſi* Pariæ. Quippe Scythis pulſi, vagos errores ſuos, utroque ſo-le, terminarunt, & in Europa, Aſia, America, conſederunt. In Illyrico & Macedonia *Parthe-ni* & *Parthis*, teſte Strabone, Plinio, Stephano. Alia ipſorum & maxima pars ſolitudines inter Hyrcaniam, Dahas, Arios , Margianos occu-parunt : ubi *Parthi* & mollius *Parſi* dicti ſunt: Nec aliunde levi mutatione *Perſarum* nomen fluxit. Danieli Paras & Pharſi. Nam Parthi & Parſi eadem ratione dicti qua Sinæ & Thi-

næ, Hunni & Thuni. Indoſcythæ quoque Par-
thi, ut ex lingua apud Cteſiam patet collata
cum hodierna Parthica. Tam late diſperſos in
Americam quoque veniſſe nihil obſtat. Nam
in extrema Tataria *Barſcol* à Veneto ponitur
quæ & *Berſilt*, ut ante dictum. Sunt in Florida
Alabardi, Gomara teſte: ex quo Geograph.
ſumſerunt qui in Mappis ſuis, Alabardos, Ava-
nares, & alios ſupra Floridam ponunt. Gen
ex Alanis & Parthis mixta. Nam quo minus
pro Longobardis capi queant, multa obſtant.
Quæ gens tam exigua olim, ut ſola paucitat
Tacito nobilitata dicatur. Nec Longobardo-
rum nomen Alabardi. Quantum enim di-
ſtant Ala & Longo vel Lom? Et Alabarda te-
li genus non à Lombardis: ſed quod tota bi-
pennis eſſet. Vnde Germani hodieque *Hele-
bardam* vocant. Quoniam vero magna lingua
Parthicæ ſive Perſicæ & cum Græca & cum
Germanica, convenientia deprehenditur, mi-
randum non eſt voces quaſdam Germanica
& Græcas in America reperiri. Vt quod a fri-
gore *Chile* dicta. Virginianis *Cheir* manus eſt
quorum linguam & alia Græcanica haber
Rogerius Guilhelmus teſtatur. Sic *Kebec, Ki-
nibec* fluviorum nomina. Sicut & apud Turca
Taiſan eſt Dei filius: apud Sinenſes *Thienſu*
Vt non ſit neceſſe Germanica quædam à Nor-
vvagis deducere. *Cuba* Indoſcytharum vox:
& ejus

& ejus nominis urbs apud Ptolemæum. Sic Cuba Hispaniolæ vicina. In Austrina parte sunt *Parii* Novæ Andaluziæ & Peruviæ: ubi, quod sæpe fit, litera extrita: quæ in urbe *Pars* occurrit. Sicut & inter Scythas Parios habemus apud Strabonem, à quibus, ut dictum, Parthi & Parsi, ac indubie etiam Parii Americæ. Scytharum antiquissima genera *Napæ* & *Pali* Herodoto. Apud Americanos in Insula Sanctæ Trinitatis ex adverso Pariæ habes *Nepoos*, in Florida *Otapallos*.

CAP. XII.

Turcæ. Latè sparsi. A Tur dicti. Amoræus. Souriqui, Yroqui, Turca, Tucoman, Surukusii. Mexicanorum lingua habet vocabula Turcica.

TURCAE gens antiquissima apud Herodotum, Plinium, Melam. Iudæi *Thogarmannos* vocant quod nomen Thogariis convenit. Ipsorum urbs Thogara Ptolemæo, apud Nicephorum Taugast. Græcis etiam Tauri & Taurisci. Longinquæ gentis migrationes in varias mundi plagas. Nam in Norico Taurisci: In parva Scythia Tauri: in Sacarum regione Turquestani. Nec inter Tauros & Turcas magna quoad nomen differentia. Nam ipsi Persæ, ut Emir-Khond, gentis authorem Tur faciunt: quod Turcicum nomen fuisse ex

Nicephoro patet, qui refert *Turun quendam rebellem Cagano fuisse*. Hinc Turi, Tauri, Turcæ, Taurisci, Derbices. Porro Turcicam gentem Derbices fuisse ex Ctesia patet, qui refert *Cyri tempore Derbicum Regem Amoræum fuisse*. Vbi *Am* non est alia vox quam *Cham* vel *Kan*, & *Amoræus* Chan Mora. Idem de Sacis ex eodem Ctesia patet, quorum Rex *Amorges*. Quod nomen etiam Persicum sicut ex Thucydide patet, qui Amorgen Pissuthnis Persæ filium scribit fuisse. Atque haud dubito quin Orchamus ille septimus à Belo Persarum Rex cujus Ovid. meminit, sit Vrchan, quod diu post nomen secundi Turcarum Imp. fuit. Igitur cum Turcæ supra mare Caspium fuerint, & ipsa gens imprimis vaga, in extimum angulum Asiæ cum Tataris, hinc in oppositum continentem Americæ delatos nihil obstat. Nam in Canada sunt *Souriqui* & *Troqui*, à Turcis proculdubio, ut ex voce patet. Quos Herodotus *Iyrcas* vocat antiquo nomine; & sic apud Strabonem quoque libro undecimo legendum, ubi vulgo *Cyrcii Tapyris vicini*. Ipsorum urbs Hiarcam sive Yarchaun, hodie Metropolis regni Cascar, teste Benedicto Goes. Vnde Hyrcani quoque originem habuisse videntur. Sua voce *Tzuruki* vocantur apud Leunclavium, quod cum Souriquis plane convenit. In Provincia Pasto *Turca* & *Tu-*

curros, locorum nomina, à Turcis habitatoribus. Quemadmodum in Perſia quoque urbs *Turca* ab iiſdem : alias Turcoman : & idem Provinciæ nomen. Nec *Tucoman* à Turcomannis abludit, unica inter pronunciandum extrita litera, quod frequens. Sicut Tartaros dicimus & Tataros Σαμάται pro Σαρμάται apud Dionyſium Afrum; Macedni pro Macedonibus apud Herodotum. In Colima ſupereſt pagus *Tecoman*. In Magellanicis inſulis *Tirimenes*. Clariſſima Turcarum memoria in Platanis Provinciis reperitur : ubi *Surukuſii* ſunt, teſte Vlrico Fabro. Mexicanis *Teu* Deus; *Calli* domus. Vnde *Teucalli* domus Dei. Turcis quoque *Teu* Deus apud Nicephorum : *Cula* vel Culuva & Cala arx quæ & domus; quod tamen ex Arabico habere videntur. *Tepec* Mexicanis mons pro quo Turcæ una extrita literula *Tepe* dicunt : unde *Buzug Tepe* mons dimidius *Mal-Tepe* mons divitiarum. Plane quemadmodum apud Mexicanos *Cachutepec* mons cuniculorum.

CAP. XIII.

Tatari an à decem tribubus Israëlitarum? Arsareth civitas. Iudæi Tataris permixti in Americam venerunt. Tatari à fluvio Tatar. Discrimen inter eos & Mopulos. Tatarorum nomen qua ratione invaluerit? Antiquiores sunt quam vulgo putantur. Eorum in America sedes. Nomina locorum in an. *Atzlan.*

TVrcas in extremam Asiam profectos, unde in Americam facilis trajectus, ex eo patet, quia Tatari una cum Turcis gens & haud multum lingua, habitu, moribus differunt. De quarum gentium origine mirum est nonnullis id in mentem venire potuisse, quod tradunt à decem tribubus Israëlitarum exortos. Huc etiam quartum Esdræ librum trahunt, & alia quæ compendio Grotius his verbis confutat: *Scriptor Esdræ quarti libri plenus est inanium somnioram, ideoque ab omnibus rejectus. Nec America est quo illa Hebræos ivisse dicit, ipsi non minus illo tempore quam aliis omnibus incognita, sed regnum quod sibi confinxere Iudæi, ultra amnem, ut ajunt, Sabbaticum, ad portas Caspias, unde nullus unquam nuncius, nullæ literæ pervenere, quod nec vidit quisquam nec videbit unquam, in hoc tantum repertum à nugivendulis ne promissa de mansuro semper regno in semine Davidis, in Iesu Christo impleta & adhuc impleri credantur. Neque verum est in Tataria fuisse Iudæos. Et quæ quidam repe-*

reperiße se ibi putant tribuum Hebraicarum nomina, vetera sunt Scythica, ut Eutalitæ non Nephtalitæ & sic cætera, quemadmodum viri eruditi abunde manifestum fecerunt. Iam vero ad Iucatanam quod attinet, qui eo primum venere, circumcisionem ibi repertam tradunt, non etiam cæteros Hebraicæ legis ritus, nec literarum eam scripturam quæ à multis temporibus apud Hebræos fuit. Circumcisio autem multo latius patet patuitque semper quam Iudaismus. Et quod ortos se dicerent ab hominibus è mari servatis, non ad mare rubrum, sed ad memoriam universalis diluvii, cujus apud omnes reperiuntur vestigia, rectè referas. Hæc ille, quæ omnia proba, si circumcisionem Iucatanorum, de qua ad huc ambigitur, excipias. His addo quod Iosephus undecimo Antiquitatum, *suo adhuc tempore decem tribus trans Euphratem superfuisse* tradat, *easque excrevisse in innumerabilem multitudinem.* Eas adhuc in Assyria & Media se invenisse, Benjamin Tudelensis, qui ante sexcentos annos vixit, gloriatur. Regio *Arsareth* etiam apud Berosum Annianum extat. Fuisse civitatem quandam hujus nominis ex Ptolemæo patet, qui *Arsaratham* ponit ad ostiũ Araxis apud mare Caspium. Et quanquam Tatari à Iudæis exorti negentur, multos tamen Iudæorum nil Tatariam & cum Tataris in Americam venisse, nil obstat. Testatur Riccius, *in Sina aliquot Iudæorum Synagogas repertas.*

Iudæos

Iudæos illos se vocare Israëlitas & ignorare nomen Iudæorum, unde videri è decem tribubus. Penes eos legem esse Mosis Hebraicam ante sexcentos & amplius annos scriptam sine punctis vocalibus. Neque mirum in Sinam eos venisse, cum author Halachot Olam & Iuchasin exertim dicat Iudęos illos in regionem *Prete Iohannis* venisse, id est magnam Tatariam & Cataiam nigram, quod etiam Rabbi Ganz in Chronico suo observavit, in cujus versione *Fretum Iavan* pro *Prete Iohan* pessimo errore legitur.

Quid mirum Iudæos illis remotis gentibus permixtos, cum etiam Græci Scythis atque Indis permixti fuerint? Quò Seneca respicit cum inquit: *Quid sibi vult inter Indos Persasque Macedonicus sermo?* Vtcunque igitur, quod negari non potest, Iudæi in Tatariam venerint vel etiam Americam, non tamen Tatarorum genti originem vel notabile incrementum dederunt, sed Turcarum manus quæ ad fluvium *Tatar* in campestribus Bargu consedit, illam tam copiosam & celebrem nationem condidit. Quantum vero discrimen inter Tataros & Mogulos sit ex Guilhelmo de Rubruquis Monacho Gallo, qui A. Ch. CIↃ CC LIII. pro Legato ad Tataros missus fuit, discendum est. *Tatarorum*, inquit, *verum nomen est Moal & eo unicē delectantur, quia Cingis Can fuit ex gente Moal. Neque volunt vocari Tatari: nam*

Tatari

Tatari alia natio. Operæ pretium est ex eodem intelligere, qua occasione Tatarorum nomen tam late extensum fuerit; non enim alibi extat narratio. *Cingus* inquit *ad Tataros & Moalos dixit*: Quia non habemus principem, ideo vicini nostri opprimunt nos. *Quo dicto à Tataris & Moalis Dux creatus,* Vntcan *oppreßit & eum in Cataiam fugavit. Sic cum Tataris suis progressus, eorum nomen longe lateque propagavit. Nam quia Tatari illi in pugna præmissi, populus exclamabat iis visis*: En Tatari veniunt. *Ita continuis bellis paulatim absumti sunt; & Moali omnibus modis nomen Tatarorum extinguere ac suum propagare student.* Hæc Rubruquis, quo nemo unquam in rebus Tataricis diligentior & magis fide dignus. Ipsum Tatarorum nomen & imperium antiquius quam vulgo putatur. Habemus apud Ammianum Marcellinum libro vigesimo tertio *Atharas* Essedonibus vicinos. Apud eundem *Totardanes* Sarmatiæ fluvius. Emirkhond jam sub Baharon Gur circa A. Christi CCCC. Persis Tataricum imperium grave fuisse refert. Nomina Regum Hhakon, Khan, Chinguis. Vltima eorum mentio in tempore Kozrao Parvvez incidit. Inde ad Turcas rerum summa translata. Hos iterum Tatari dejecerunt circa Annum Christi millesimum.

Ex his patet amplam Scythiæ gentem Tataros

taros fuiſſe. Eorum in Americam tranſmigrationis clara ſuperſunt veſtigia. In Cinaloa *Tamogali*. In Rio de la Plata vicini Guamariis *Mogoles*: inter Chichimecas *Majolies*. Provinciæ Mogolibus in Aſia vicinæ ſunt *Cotan*, *Baida*, *Tangur*. In Americæ S. Martha *Coto*, in Chili *Coton*, in Peru *Paita*, *Tangora* & *Tangarala*. Vrbium Tataricarum nomina ſunt Cingui, Chincui, Cangi, Chinchitalo, Taingin, Tingu, Tangut, Camul, Tooma, Cianfu, Cunchi, Caſcian, Caſcar, Tholoman. In Americæ Nova Hiſpania *Tancuylabo*, *Tenguacet*, *Tenguadin*, *Tulanzingi*, *Guaxazingi*, *Arazingi*, *Impilzingi*. In Nova Mexico *Cicui*, *Conchi*. In Peru *Cigua*, *Chincha*, *Conchuco*, *Chindui*, *Chuqui* Chacaynga, Chincama, Cincero, Concingei, Iſcaicinga. In Braſilia *Cangoin* & *Caingoin*. In Iucatana *Yzamul* provincia quę & *Aarinchel*: nam & *Arinchi* Scytharum in Taurica populi, ut ex Marcellino patet. In Peruvia *Tomebamba*, *Tomependa*, *Cia*, *Conchi*, *Chinca*, *Chincama*. Prope Cibolam *Tolm* & *Tolmia* Zacatulæ urbs. *Cuzco* lingua Incarum ſignificat umbilicum terræ, quia ſitus ejus in medio Tahuantinſuyo qui Peruanus orbis. Meminit etiam Cuzconis Barbariæ in Africa urbis ſcriptor Granadenſis Hiſtoriæ Arabs Argutafa, ſed quæ Peruvianæ originem non dedit cum ſatis evidens ſit Mangonem conditorem ejus Tatarum fuiſſe.

Turca-

Turcarũ genus *Gutzi* quorũ Tudelensis meminit, & Tatari supra Sinam *Iezi* dicuntur à Iaponensibus, unde in nova Anglia *Massachusetzi*.

Magnum quoque Turcicæ & Tataricæ originis apud Mexicanos argumentum est, quod pleraque locorum nomina in *an* exeunt. Vulgo male in lan vel tlan, cum l vel tl non ad an sed ad præcedentem dictionem referendum sit, sicut ex voce *Aztlan* patet quæ ardearum regionem significat, ubi l non ad an sed ad *Aztl* quod ardea, pertinet. Sic *Mechoacan* regio piscium, ubi l plane deest. quia Mechoac piscis. Nota locorum Mexicanorum nomina *Teutitlan*, *Coatlan*, *Haztatlan*, *Quezatlan*, *Petatlan*, *Tenoxtitlan*, *Ezapan* & alia innumera: Apud Turcas & Tataros *Merglan*, *Multaharan*, *Tascan*, *Coman*, *Vachzizatlan*, *Agrian*, *Etairan*; *Avaclan*, *Vgan*, *Zilan*, *Cazan*, *Astracan*, *Rezan*, *Tholoman*, *Arcladan*, *Kotan*, *Helan*, & apud Nubiensem complura alia, ut *Ialan*, *Ailan*, *Dhoklan*, *Lalan*.

Et hæc locorum terminatio per universum Orientem, propter Tatarorum Imperium latissimum, frequens, ut in Persia *Tzirtzan*, *Corasan*, *Guylan*, *Ispahan*, *Argian*, *Cirman*, *Hyrcan*, *Milican*, *Badaghan*, *Burgian*, *Balcan*. In India *Multan*, *Hagickan*, *Decan*, *Aran*, *Sian*, *Baadan*, *Cholan*, *Zeilan*. In Moluccis *Macian*, *Bacian*. In Ladronibus *Guaman*, *Pragan*, *Sarpan*, *Gugehan*,

Bahan,

Bahan, *Guagan*, & maxima Insularum *Iapan*. Eadem in *an* terminatio per universam Mexicanam usque ad Iucatanenses & Nicaraguanos, ubi deficit, deprehenditur. In aliis regionibus rarissima, ut *Nicoan*, *Natan*, *Panaman*, quę tamen regulorum nomina fuisse videntur. In Aiti fluvius *Bahuan*, regio *Maguan*. Plura diligenter inquirenti non occurrebant. Per totam australem Americam nullius in *an* loci terminatio, cum tamen eo penetrasse Tataros constet; sed alius forte linguæ & originis.

CAP. XIV.

Nomina propria Americanorum à Scythis. Linguæ Hebrææ quædam vestigia apud eosdem. Iosephi nomen. Tatarax. Sagomombar. Saguica. Chacones. Discrimen inter Cam & Chan. Curacan, Tamacis. Cin. Beg. Bal. Paulo. Attila. Atzlan. Capa. Ruca. Gazun. Capa Inca. Guaipalca. Cinguis. Mango. Al.

ITa ex locorum & gentium nominibus ostensum Scythas Hunnos in Americam venisse. Restant propria personarum ex quibus luculenter eadem res demonstrari potest. Diximus non omnino negandum quosdam Iudæos Tataris permixtos in Americam venisse. Esse in nova Anglia quandam linguæ cum Hebraica convenientiam Rogerus VVilhelmi scribit, sicut etiam in novo Belgio terram *Argnada* vocant, quod merè Chaldaicum.

Sed

Sed hoc memorabile apud Hurones occurrit, quod illis *Iosephi* nomen inter alia receptum. Quod unde ad eos nisi à Iudæis provenerit, equidem conjicere non possum, quanquam etiam in casum nonnunquam ejusmodi similitudo referri queat. *Tatarax* superiori seculo in Quivira regnavit, quod nomen merè Tataricum. *Tatar* proprium apud Mogoles nomen, unde ipsa tribus dicta Tatarbeg apud Leunclavium. *Ax* Turcis album: quo titulo illi Reges delectati. Vnde *Axan* vel Axhan, id est, albus Rex Togrulbeci filius, alio nomine Olbarselan. Apud Trogum *Asian* Tocsarorum Rex, apud Curtium *Assacam*, Strabonem *Assacan* Mazagum Rex. In Paria *Stalderax*, *Almorax*, *Merebax*. In Florida *Naguatax*. In California *Naguatcha*. Inter Mexicanos Reges *Axaiaca*. Reges Virginiæ *Sagami*. In Isthmo *Saecum* nobilis. *Sagomombar* Tatarorum priscus Propheta Theveto, si tamen rudissimo & ineptissimo scriptori, ut eum Thuanus appellat, tantum fidei tribuendum. Apud Sinenses & Iaponios *Xacam*. *Can* vel *Cagan* Tataris Rex. Apud Californios *Saguica* idem esse quod *iste vester Dominus*, Ferdinandus Alarcon tradit. Ergo *Sa* iste, *Guy* vester, *Ca* Dominus, quod vel *Can* vel Sha Persicum respicit. In Paria Reges *Chacones* dicuntur, quod Vnnorum Caganus est. Vulgo idem esse volunt *Cam* & *Can*,

quod non ita ſe habet. Solus Magnus Imperator Tatarorum *Cam* appellatur. *Quam* autem ſive *Cam* illis idem quod *Tei* id eſt Deus; unde illa Sinenſium Tatarorum compoſita, *Truiquam* Deus maris, *Tanquam* Deus pluviæ, *Taiquam* Deus vitæ ac mortis. Igitur non idem plane *Can* & *Cam*. Illud quibuslibet Principibus; hoc ſummo tantum Imperatori tribuitur. Ergo *Cam* idem Tataris quod Abyſſinis *Giam*. Aliud vero apud Sinenſes eſt *Ciam*; unde *Ciam Ciu* præſes Curiæ, quod etiam inferioribus Magiſtratibus tribuitur. *Chamba* Princeps Quitonicus apud Caſam. Antequam Ingæ rerum potirentur, Reges in Peruvia *Curacan* dicti. *Tamacis* apud Herodotum, Tataris *Temueis* qui poſtea mutato nomine Chinguis Kan. *Cin* in Mexicanorum Principum nominibus frequens. Gomara in Corteſio: *Nominibus propriis Regum vel principum Syllabam* Cin *adjiciunt, quæ Regem vel Dominum notat.* Sic dicunt *Motezumacin.* Idque interpres pictorum Annalium apud Purchaſium obſervat, cui *Tizozicatzin*, *Ahuizozin*, qui Acoſtæ Autzol & Tizocic. Apud eoſdem Mexicanos *Tolpicin* Dux claſſis qua in Americam primum appulerunt. Poſt Motezumam II. Rex *Guatimucin.* Ejus militiæ Dux Cyguacoacin. Regulus in Churutecal *Cacamacin.* Tlaſcalæ conſul *Magiscacin.* Tezcucæ princeps *Catamacin.* Apud Iu-

cata-

catanos *Alcinbeg*. Vbi Turcicum *beg* quo Principem denotant. Hochelagiensium Rex *Agouhanna Bal* Hunnicum. Vnde *Balamber* Mundzuchi frater. In Xalisco *Baldoret*, *Palasco*. In Nixapa *Baldorec*. Apud Peruanos *Paulo*. Non sane ex Latino Paulus, sed Hunnico *Bal*, quod etiam priscis Scythis receptum; apud quos Rex *Palo* cujus Diodorus Siculus secundo Bibliothecæ meminit. Et hinc *Bela* Regium apud Hunnos nomen; sicut etiam familia Principum Russiæ appellatur Beala, unde Fletcherus Legatus Elizabethæ Anglorum Reginæ collegit, *Originem ejus ex Hungaris esse*. *Attila* Hunnicum, & sic ille orbis prædo ac terror dictus. Apud Peruanos ejusdem cognomenti Attala ex Incarum stirpe. *Beg & Bassa* Principum Turcarum tituli. In Nova Francia apud Etecheminos *Bessabez*. In Popaian *Calambaz*. In Brasilia *Konianbec*; de quo in Itinerario suo Iohannes Stadius Homburgensis & Thevetus. Apud Iucatanos *Alquimbech* Gomaræ. Nomina apud Tataros, Turcas & Mexicanos frequenter in *an* exeunt. Vt *Germian*, *Arselan*, *xan*, *Casan*, *Rostan*, *Alwan*, *Vlan*, *Siban*. *Iztacmixtitlan* apud Gomaram viri Mexicani nomen. *Atzlan* antiqua Mexicanorum patria, nomen Turcicum, apud quos *Atzlanbeg* circa A. Ch. cIↄ ccc Carasinæ in Natolia Princeps fuit, de quo Leunclavius. Filium primi

hominis *Lotzitzan* Sinenses *Azalan* vocant. *Capa & Ruca* Incarum nomina à Turcis petita qui *Barkiarucas* & *Capi Agas* habent. *Capasi* Rex Apalches *Gazun* Mechoacanæ Rex, Tatarico nomine. Ita penultimus Tatarorum qui in Persia regnarunt, quoque appellatur. Maximus Imperatorum Peruviæ *Gainacapa*, primus *Mangocapa* fuit. Et notat Inca Garcilasso Regem à cæteris Incis titulo *Capa* distinctum fuisse. *Capa* Inca significabat solum Dominum; qui etiam alio nomine *Huacchacuyack* benefactor pauperum dicebatur. *Guaipalca* Atahualpæ frater. Nomina Tatarica sive à *Gain* sive *Ganiatu* deducas. *Gain* inter Magnos Camos tertius, Haithoni *Gino*, Planocarpo *Guine*. *Ganiatu* Regum Tatarorum in Persia quintus. *Cinguis* primus Imperator Tatarorum, quod nomen etiam Incis receptum. Nam in familia Vrincuzco post Mangocapam successit *Cinchiroca*. Conditor Peruani regni *Mango* & ejusdem nominis post Atahualpam ultimus fuit. Quod nomen Tataris receptissimum, quorum Imperator quartus & Iacubi Padischa apud Persas frater, *Mangones* fuerunt. Multi Hunnorum nomina ab *Al* initium capiunt *Aladarius* Attilæ filius *Almus* nepos Chabæ, *Al-buger* filius Chinguis & alius Zavolhensium Rex apud Michovium. In America apud Iucatanos *Altep*, *Alquinotep* vel *Alqumbech*. In

Pari-

Paria *Almorax.* Apud Guahutemallos *Alandiulco.* Tot Hunno Scytharum nomina propria cum passim apud Americanos reperiantur, de eorum ex Asia in novum orbem transmigratione dubitandum amplius non esse patet.

CAP. XV.

Scytharum mores. Fennorum. Hunnorum. Conveniunt Americanis. Anthropophagi. Ethicus. Tatarorum. Samojedarum. Lapponum. Mores Scythici per universam Americam. Quivirani Nomades. Corpora pingere. Huronum crudelitas. Σκυθιστὶ χειρόμακτρον. Qui Scythæ una uxore contenti. Desperato morbo laborantes occidere. Etiam parentes. Americanorum quorundam immanitas.

NVnc de moribus agendum est. Scytharum Septentrionalium illi in universum mores, quos Tacitus in Fennorum gente describit. *Mira omnibus feritas, fœda paupertas, non arma, non equi, non penates: victui herba, vestitui pelles, cubile humus, sola in sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperant. Idemque venatus viros pariter & fœminas alit. Passim enim comitantur partemque prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur. Huc redeunt juvenes, hoc senum receptaculum. Id beatius arbitrantur quam ingemere agris, illaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque versare. Securi ad-*

versus homines, securi adversus Deos, rem difficillimam assecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus sit. Quibus adde quæ de Hunnis Marcellinus scribit: *Senescunt imberbes, compacti omnes firmisque membris & opimis cervicibus prodigiose deformes & pandi. Radicibus herbarum & semicruda cujusvis pecoris herba vescuntur. Ædificiis nullis unquam tecti, nec apud eos vel arundine fastigatum reperiri tugurium potest, sed vagi montes peragrantes & silvas pruinas, famem sitimque perferre ab incunabulis assuescunt. Indumentis operiuntur linteis vel ex pellibus silvestrium murium consarcinatis. Semel obsoleti coloris tunica collo inserta non ante deponitur aut mutatur, quam diuturna carie in pannulos defluxerit. Capita incurvis galeris tegunt, hirsuta crura coriis munientes hædinis eorumque calcei formulis nullis aptati. Aguntur nulla severitate regali, sed tumultuario primatum ductu contenti, perrumpunt quicquid inciderit. Ineunt prælia cuneatim variis vocibus torvum sonantibus, procul missilibus telis, acutis ossibus pro spiculorum acie mira arte coagmentatis. Nemo apud eos arat. Omnes sine sedibus fixis absque lare vel lege aut ritu stabili dispalantur semper fugientium similes. Infidi, inconstantes, mobiles, incitatissimi furoris, quod honestum inhonestumque sit penitus ignorant, nullius Religionis.* Qui mores tam exacte feris illis & incultis Americanis, quales Chichimecæ, Pilcosones, Cheriguanæ, conveniunt, ut eos no-

bis

bis in Fennorum atque Hunnorum gentibus descripsisse antiqui videantur. Sane immanis illa barbaries qualis apud Chichimecas & Brasilianos, in nulla Celtarum Europæorum gente deprehensa fuit; minime omnium apud Norvvagos. At in Scythis Nomadibus & Anthropophagis tam graphicè nobis depingitur ut, mutato tantum nomine, Chichimecas & Brasilianos habeamus. Propone tibi ex Herodoto immani ferocia anthropophagum, Chichimecam habebis. Neque ulla gens humanis carnibus, præter Scythas, vescebatur. Ethicus Cosmographus antiquus nondum editus, cujus antiquissimum Codicem in membranis scriptum Bibliotheca Cl. Boxhornii, amici nostri summi, communicavit, de Turcis: *Gens ignominiosa & incognita, monstrosa, Idololatra, fornicaria, in cunctis stupris & lupanariis truculenta. A quo & nomen accepit. De stirpe Gog & Magog. Comedunt enim universa abominabilia & abortiva. Statura deformi, vini penitus ignorantes, Sal non utentes nec frumentum. Diem festum nequaquam nisi mense Augusto mediante. Habent Crines fuligine deterrima corvinis similes. Habent leones, pardos, canes maximos.* De Tataris Venetus, Vincentius, Planocarpus: *Sunt statura mediocri, lata facie, prominentibus genis, naso plano & compresso, barba nulla vel rarissima, supra verticem in morem clericorum rasi coronæ figura &*

ab aure una ad aliam latitudine trium digitorum. Ebrietas apud illos honorabilis. Conjugia inter omnes licita, si matres, filias, sorores excipias. Ducere fratris defuncti viduam licet. Vxores singulis complures, sed prima honoratior & legitima. Cibus caro, etiam equina & canina, potus lac. Humanas quoque carnes hostium devorant assas & elixas. Vestes ab umbilico ad genua, nec brachia, pectus, latera iis teguntur. Domicilia vel in curribus portatilia vel ex palis in modum tentorii, relicta superne fenestra per quam fumus se exolvit & lux intrat. Viri in venationibus & bellis continui. Arma non ex ferro sed coriis, gladiorum usus rarus. Tempora per Lunas supputant. Initium anni Kalendæ Februarii. Quæ omnia variis Americanorum gentibus recepta sunt. Sunt etiam barbatæ Tatarorũ nationes supra Sinam colore fusco, capillis barbaque promissis ut Moscovitæ, quos Ludovicus Frois *Iezos* appellat. A quibus illi per Americam barbati originem ducere possunt. Samojedæ à Petzora ad Obin statura dispari, facie plana, colore fusco & rubicundo, oculis parvis, atro capillo, plerique imberbes & in eo non minimam elegantiæ partem ponunt, nonnullis exceptis qui aliquid barbæ alunt. Imperterriti, celeres, bellicosi, in venatu assidui atque hinc sagittandi peritia. Vtuntur sagittis acuto lapide vel spinis piscium præpilatis. Hiemem in sylvis transigunt & putan-

putantur anthropophagi eſſe. Degunt gregatim, frugum paniſque expertes. Feræ ibi frequentes, eas venantur: hinc victus & amictus. Pelles ſpinis piſcium conſuunt & nervis; pilos æſtate extrorſum, hieme introrſum vertunt. Idololatræ, Sortilegi, incantatores. Honorem aliis exhibituri capite nudato in terram procumbunt. Habent Principem qui à cæteris cultu nihil differt, niſi quod in capitis tegumento ſtellam gerit: etiam à Senioribus reguntur. Equorum inſtar Rangiferis utuntur. Linguis variis inter ſe differunt. Molgzomii ſpecus & antra habitant. Apud Oſtachios multi Reguli Indicis Caſiquis ſimiles. A Tingœſiis ad auſtrum variæ gentes perpetuis inter ſe bellis exercentur. Lappones ſtatura brevi, perniciſſimi curſus, & inter currendum manci ac claudi videntur. Stricta omnibus veſtis & ſuffulta pellibus. Ætatem venando transigunt. Pars artificia exercent, pingunt & veſtes auro ac argento opere phrygionico intertexunt. Conjugia per ignem & ſilicem auſpicantur. Navigia nervis animalium & viminibus contexunt. Magici peritiſſimi. In medio curſu navem ſiſtere, quicquid toto orbe geritur ſcire, ventos venales habere perhibentur, Adamo Bremenſe teſte.

Mores Scythici per Vniverſam Americam, plures uni viro uxores, hoſtes comedere, cæſórum

rum capita prælongis contis infigere, pingi, in venatu esse assiduum, Sedes Nomadum ritu mutare. Nec putandum quibusdam tantum Scytharum gentibus hæc recepta fuisse, cui errori Solinus & Marcellinus manifeste favent, cum Herodotus, quod illi solis Gelonis, omnibus tribuat; & Virgilio non Agathyrsi modo verum etiam Geloni pingantur. De Quiviranis qui omnium Americanorum, quantum nobis constat, proximi Tataris, tradunt eos imitari moribus suis & pastura armentorum Scythas Nomadas sive Hordenses Tataros. Corpora pingere Scythicum. Venetus: *In Cangigu viri & mulieres faciem totumque corpus pingunt imaginibus leonum, draconum, avium, quæ aboleri non poterant. Quo quis magis picturatus, eo pulchrior.* De Agathyrsis res nota. Idem per Virginiam Floridamque receptum. Summam gloriam in hostium cæde ponere Scythicum: & ille beatus judicatus cui in prælio animam efflare contingebat. Marcellinus libro XXIII. & XXXI. *Præcidere hostium capita eaque prælongis contis infixa circumferre.* Apud Tauros perticæ infixa ædes superéminebant, teste Herodoto. Quod etiam Popaianos fecisse Acosta libro de procuranda Indorum salute tradit. Dici non potest quam crudeliter captivos hostes Hurones & Iroquosii excarnificent, nec quisquam Sagardum ea de re scribentem

bentem abſque horrore leget. Inter alia: *Captivis cutem quæ cranium tegit, una cum capillis detrahunt.* Quod Floridanis etiam, quorum magna cum Huronibus convenientia, & vicinis nationibus receptum. Omnes particulam hujus cutis ſecum geſtant. Quod à Scythis profectum Herodotus in Melpomene docebit, cujus verba exacte nobis Floridanum & Huronenſem Scytham, cæſi hoſtis caput ita ſecantem ut cum pilis cutem auferat, nobis repræſentant. Vnde etiam proverbium Σκυθιστὶ χειρόμακτρον manavit. Quemadmodum enim Hurones & Floridani, ſic etiam Scythæ ex pellibus ejuſmodi humanis, mantilia fecerunt. Quatuor tantum vetuſtiſſimæ Americanorum gentes, *Mazatecæ*, *Pinoles*, *Otomies*, *Chichimecæ*, ſingulis uxoribus contentæ quod de Maſſagetis quoque Herodotus & Strabo referunt. Vagi Canadenſes (nam cæteris id non receptum) ægrotos de quorum vita deſperatur, magno ſe beneficio putant afficere, ſi compendio ad mortem adigant. Ne parentes quidem ab hac immanitate liberi: Spiritum adhuc trahentes ſua manu conficiunt. Proprium hoc Scythis, ac nominatim Maſſagetis fuit. In *Terra Firma* moribundi in patentes campos delati, ut avium & beſtiarum pabulum fierent, quem morem in Parthis Scythica gente antiquitas tantopere abominata fuit, à quibus ad

Perſas

Perſas, Gaſpios & Hyrcanos manavit. Idem *Tebetenſibus* in Cataia receptum, unde facilis in Americam trajectus. Immanis mos epulari mortuos. Præter Hibernos & Scotos, *Iſſedones* & *Maſſagetæ* id fecerunt. Strabo de Maſſagetis: *Senes in fruſta cædunt & cum ovillis* carnibus edunt. De Derbicibus idem: *Senes ſeptuagenarios jugulant & comedunt. Anus ſtrangulant & domi ſepeliunt. Qui citra Septuageſimum annum vita excedunt, non comedunt ſed ſepeliunt.* In America Venezuelani Principum carnem conſciſſam potui miſcebant & bibebant. De Chirihuanis gente trans Andes Peruviæ Inca Garcilaſſo: *Edebant carnem humanam, bibebant ſanguinem. Edebant quoque cognatos ſuos defunctos ac Comeſtorum oſſa compoſita ſepeliebant. Ne à Sororibus quidem, matribus aut filiis abſtinebatur. Hanc immanitatem eos Incæ dedocuerunt.* Sed nec hoc prætereundum eſt longe majorem Americanorum quam Scytharum barbariem fuiſſe. Quidam carne humana indiſcriminatim veſcebantur ut Canibales: alii ſolis hoſtibus, ut Popajani & Mexicani. Summus immanitatis gradus hic fuit. In Valle Nova circa Popajanam, hoſtium fœminas captas prolis cauſa domi alebant, & vix editam devorabant. In valle Guaca propinquis ſuis captivas deſponſant & prolem devorant. Hoc vero omnem ſenſum humanum ſuperat. Iuxta Ilheos Braſi-

Brasiliæ barbari cum Aymuris bellum gerunt; prægnantium ventres aperiunt ac immaturos fœtus protrahentes, eos spectantibus parentibus semivivos & crudos deglutiunt. Cum his comparati Vindelici & Rheti, de humanitate sua gloriari possunt: qui hostium fœminas mactarunt quidem, sed eas tantum quas mares concepisse vates dicerent.

CAP. XVI.

Sepulturæ ritus. Huronum superstitio. Fœdera cruenta. Incarum insigne pannus. Sine muneribus eos adire nefas. Eadem apud Mexicanos, Peruanos, Tataros, sepultura Principum. In quo discrimen. Ingens hominum multitudo in ipsorum funeribus cæsa. Soldariorum lex. Mensa sepulcro illata Tonsura. Tatarorum & Brasilianorum similis. Nec non aliorum Americanorum. Hostes epulari. Puerperii ritus apud Brasilianos, Guarayos, Corsos, Tabarenos, Arcladanos. Alii ritus. Plumarum ornatus. Canadensium cum Turcis convenientia. Nec non Pariensium. Palo infigere. Genas ferro adurere. Scythæ & Americani imberbes. Traditiones eorum. Victus Maiz & Chica. Frumentum Turcicum.

HOc vero per universam Scythiam pariter & Americam receptum, sepulcra mortuorum rebus ad hanc vitam necessariis, cibo, potu, armis, opibus exornare. Cujus rationem Thraces & Getæ interrogati, responderunt, *quod parati essent cum fato jacentis, si detur, vel pacisci vel decernere.* Americani aliud respi-

respiciunt, putant enim animas & umbras iis omnibus in altera vita indigere, quod neque cibo carere possint & potu, neque à frigore & aliis hujus vitæ incommodis immunes sint. Qua in re tam superstitiosi Hurones sunt, ut cum prima sepultura mortuis sagittas, arcum & alia apponant; sexto quoque anno magnas exequias instaurent: ubi, ne ossa carne vacua frigus infestet, novis omnia pellibus involvuntur. *Scythæ* ne fœdera quidem incruenta habebant. Sanguinem humanum mittere summum fidei & amoris pignus: unde mos, & luctum, quod Herodotus exertim tradit; & gaudium, sanguinis missione testari. Quod ab ipsis ad Persas & Carmanos fluxit. Turcæ cum gaudio aliquem excipientes, sanguinem hinc inde ex corpore mittunt. Idem in America passim obtinet. Qui novam Albionem colunt, Anglos ita exceperunt, tam fœdum spectaculum cum indignatione detestantes. Iucatani pacem vel fedus pangentes, novacula sanguinem ex lingua, manu, aliave corporis parte mittebant. Ludis & tripudiis vacare Camulenses solent. Pariter Americani. Apud Tebetenses sponsæ primum florem alii præripiunt. pariter in Nicaragua. De quo jam supra.

Tataros Americæ insusos & Peruviæ Imperium per suos Ingas constituisse ex regnan-

di ac

di ac sepulturæ ritibus, certissimo argumento colligitur. Nam & Tataris & Peruanorum Ingis, insigne monumentum regni pannus fuit, quod mihi memorabile imprimis & observandum videtur. Nisi quod illis niger & attritus: his ruber &, ut puto, integer: illi sedentes in eo majestatem exercebant: hi fronte, diadematis vice, alligabant. Inca Garcilasso ita describit: *Diadema erat fascia multicolor, digiti craßitie, caput quater vel quinquies ambiens.* Et in universum regius ille fastus ex Scythia, non intueri Regem, prosterni coram eo, & similia. Tataricos Chanos nefas sine muneribus adire. Id quod Planocarpus cum damno suo expertus fuit. Si quis putat hoc receptum apud Peruanos non fuisse, Gomaram legat & Augustinum Zaratam. Sepulturæ apud Mexicanos; Peruanos atque Tataros ea convenientia, ut major esse non possit. De Americanis Acosta in universum: *Mortuo Principe viro in ejus honorem & servitium familiares & domesticos, captivos item atque obvios, & in summa omnes qui viventi fuerant gratißimi, trucidant; apposito ad animæ sustentationem cibo & potu.* Et sigillatim id de Canadensibus, Floridanis, Mexicanis, Aitanis & Cubanis, Dariensibus, Orenoqueponis, Zompacianis Venezuelæ, Peruanis, aliisque idem refertur. Quæ omnia totidem verbis dici de Tatarorum sepultura possunt.

possunt. Vbi & hoc imprimis observandum: trucidatos obvios; in eum finem, ut Dominis suis in altero orbe servirent.

Qua in re sepultura Ingarum disceparit ab Imperatorum Tatariæ monumentis, non reperio. Nisi quis in eo ponere discrimen velit, Ingæ demortui omnes opes ac thesauros sepulcro illatos, quod in Magnorum Camum sepultura factum non legimus. Sed ratio in promtu. Nam ille mos demum in Peruvia introductus ab IngaRoca. Ante quem dubium non est, quemadmodum apud Tataros, partem tantum ex opibus & pretiosissimam supellectilem, defuncto consecratam. Cætera pariter se habent; & perlustrantibus montis Belgian, qui Veneto Alchai, Quitonis, Limæ, Cuzconis, monumenta regia; illic quidem Vnchanos sive Magnos Chanos; heic Ingas, in thronis regiis, vestitu pretiosissimo, sedentes; juxtim opes & familiarium charissimos, mensam ferculis instructam, deprehendemus. In exequiis Guainacapæ amplius millenos omnis generis homines occisos legimus. Et quod fidem pene superat, cum Mangonis Chami Tatariæ funus ad montem Alchai duceretur, viginti millia hominum inferias missa sunt. Nec male secum agi putabant quibus sic perire datum. Vltro in mortem ruebant, & superesse dominis infaustum videbatur ac miserum.

ſerum. Nec facile quis dixerit quot Indorum millia, cum Rex Borriquenæ Hiſpanorum crudeliſſimis manibus periiſſet, ſponte ſibi necem intulerint eam ob cauſam, quæ & Tataros movit, ut apud inferos Domino ſuo famularentur. Non alia Solduriorum apud Gallos conditio fuit. De quorum funeribus ita Cæſar: *Omnia quæ vivis cordi fuiſſe arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia, ac paulo ſupra hanc memoriam ſervi & clientes, quos ab iis directos eſſe conſtabat, juſtis funeribus confectis una cremabantur.* Idem Anglis ante Chriſtianiſmum receptum Beda teſte, & Guinenſibus Africanis: ſed quid hos America excludat dictum. Summa eorum quæ diximus huc redit; ex ſepeliendi ritu apparere, Americanos maxima ſui parte, ab Aſiaticis Scythis ortos eſſe. Nam quemadmodum Tatari mortuos ſepeliunt, ita quoque antiquiſſimos Scythas jam Herodoti ævo ſepelire ſolitos deprehendimus. Cujus ea de re verba, in Melpomene, ſi quis cum iis quæ de ſepultura Tatarica & Americana ſcriptores tradunt, conferre velit, inveniet exactam convenientiam. Quod Cyri Perſarum Regis ſepultura in Paſargadis ab Alexan. Magno inventa oſtendit. Vbi in ſacello quodam Cyri cadaver, juxtim aurea lectica, menſa cum poculis, plurima veſtis & opulenta conſpecta fuit. Quibus hoc unum addimus, Virginianos, præ-

ter alia quibus mortuus usus dum fata sinebant, etiam mensam, quod Persæ olim, nunc Tatari faciunt, sepulcro intulisse. Brasiliani tribus imprimis rationibus ostendunt se à Tataris exortos: Nam rasura, modus epulandi hostes, puerperium, eadem inter se habent. Rasos parte superiori Tataros Vincentius refert, ita tamen ut prolixæ ad aures Comæ relinquerentur. Hoc est super verticem capitis in modum clericorum habent coronas & ab aure una ad alteram latitudine trium digitorum radunt. Quod omnes Brasiliani faciunt, solis Ovetacatibus exceptis; qui & Lingua & moribus aliam originem ostendunt. Neque soli Brasiliani Tataricum hunc morem sequuntur, sed & quanquam paulo diversius, aliæ gentes. Quæ anterioribus comis abrasis, posteriores tantum alunt. Sicut de *Almuchiquois* Novæ Franciæ, *Californianis*, *Iucatanensibus*, *Nicaraguanis* ex parte; & aliis compluribus, traditur. De *Chicoranis*, qui Virginiani sunt, ita Martyr: *Comas scindunt, duos tantum à temporibus cirros relinquunt quos sub mento alligant.* Sed Brasiliani plane Clericorum more, ut Tatari radunt, insuper crinibus in rotæ speciem accisis. Cæteri vel retro-comati vel intonsi, vel incogniti nobis, ut apud Virginianos capillamenti. Quanquam & Maces Africæ populi summitates capitis, cætera intonsi, raserint,

ſcrint, apud Herodotum in Melpomene. Igitur à Tataris tonſuram ſuam Braſiliani & quos diximus, habent. Cæteri à Turcis & aliis Scytharum populis. Nam Turcis Agathias adſcribit *horrentes crines nodo in vertice religatos.* Id quod ex Germanis ſoli Suevi & Sicambri, Tacito notante, fecerunt. Aliis Scythis crobyli in uſu, ut & per totam Americam paſſim. Alterum pro Tatarica Braſilianorum origine argumentum eſt, idem hoſtes epulandi mos. Solitos vindictæ ſtudio & ad terrorem cæterorum Tataros hoſtes ſuos devorare Vincentius teſtatur. Cujus exemplum apud Haithonem habes. Modus quo id fiebat, planè convenit cum Braſiliano. Capto hoſte vicini convocabantur: tum mactati carnes, aſſæ vel elixæ, veſcentibus diſtributæ. Cædes clava lignea fiebat etiam apud Tauro Scythas, ut Herodotus in Melpomene tradit. Tertium eſt à ritu puerperii. Puerpera Braſilianorum, non ſecus ac ſi nunquam uterum geſſiſſet, ſtatim à partu ad conſuetas rei familiaris curas impigrum animum transfert. Ejus loco vir in lectum ſe confert, ægrimoniam omnem in ſe ſuſcipit, denique curatur molliter. Quod nullibi receptum in America quam apud Braſilianos & qui ipſis ſimillimi, Guarayos S. Crucis de la Sierra. Idem Corſos olim factitaſſe Diodorus, Hiſpanos Strabo, Tibarenos

Nymphodorus obſervant. De quibus Flaccus V. Argonaut.

Hinc Tabarenum
Dant virides poſt terga lacus, ubi deſide mitra
Fœta ligat partuque virum fovet ipſa ſoluta.

In extrema Tataria Arcladani quoad hunc etiam ritum Braſilianis ſimillimi ſunt, de quibus Paulus Venetus libro ſecundo capite quadrageſimo primo. Vt plane dubium ſuperſit nullum Arcladanos in Americam trajeciſſe. Quemadmodum etiam Arcladanis ac Braſilianis eadem morbos curandi ratio. Sacerdotes & Magi de ſalute ægroti Dæmonem interrogant ejuſque oracula ſequuntur, ut quod prædixit, futurum credant. Sunt & alii mores Tatarici. Feras in orbem cingere & incluſas telis conficere; cervos cicurare: ſanguinem bibere, plures uxores ducere, ita tamen ut una cæteris honoratior & legitima ſit. Idem Peruviis, Virginianis, Carendiis & quantum ad conjugia, omnibus in univerſum, receptum. Pennæ in præcipuo per omnem Americam ornatu. Cujus rei quanquam illa eſſe ratio poſſit, quod novus orbis abundet innumerabili pretioſiſſimarum avium copia: tamen videmus etiam Turcas atque Tataros imprimis luxuriare illa plumatili ſuperbia. Alias ſolis Garamantibus earum uſum velut peculiarem Tertullianus lib. de vel. virg. adſcribit. In quo fallitur

fallitur. Cum Herodotus nobis Lycios quoque describat, caput magnis plumis ornantes. Canadenses cum Turcis in liberorum educatione convenire Thevetus observavit. Nec ipsi obstare quicquam aliud visum quo minus diceretur à Turcis illum morem accepisse Canadenses, quam nimia locorum distantia. Cui jam supra responsum est. Nec elegantissima Petri Martyris observatio omittenda, qui *Parienses Turcarum more vestitos fuisse* annotat. Quod vehementer confirmat eorum Parthicam originem. Apud Aitanos moris fuisse fures palo infigere, præter Gomaram Oviedo fide dignissimus scriptor, tradit. Quo supplicio nihil apud Turcas & Tataros frequentius. Quemadmodum Persæ, vera Scytharum soboles, quoque factitarunt. Hunnicum est genas recens natorum altius ferro sulcare. A quibus hoc Gronlandi, Cinaloenses & Nicaraguani acceperunt. Vbi notandum: Hunnos propterea hoc fecisse, ut corrugatis cicatricibus hebetato pilorum vigore imberbes consenescerent. Est autem tota imberbis America, tribus tantum exceptis, ut dictum, populis. Quod à nullis rectius quam Scythis deducitur, maxime Septentrionalibus, quales Hunni, Tatari, Turcæ & alii. Samojedi, sedibus priscis Hunnis vicini, plerique imberbes sunt, & in eo non minimam elegantiæ partem po-

nunt. Idem de Tataris Vincentius & Venetus ſcribunt, vel nullam vel rariſſimam barbam eos alere:adeo ut Tatari Bocharenſes etiam myſtacem abradant. Accedunt priſcæ traditiones Mexicanorum & Peruanorum. Nam quemadmodum Hunni & Tatari in ſeptem Hordas ſive nationes ab omni ævo diſtributi:Sic Mexicanorum quoque ſeptem gentes; & ad hoc deſignandum in libris ſuis ſeptem ſpecus pingebant & ex ſingulis prorepentes homines. Peruani unam ſpecum Pacaritambo, ſed ex ea ſeptem erumpentes Ingas, familiarum totidem capita & Principes. Quorum unus Mangocapa fuit, nomine Tatarus. Habes etiam Hordarum, Cunad & Mogol, appellationes. Victus quoque Americanis, Turcis, Tataris, idem. Panis ex *Maiz*; potus *Chica*. Quod nullibi terrarum quam in Aſia & Scythia obtinet, ubi Maiz & Chicam habes. Quæ cauſa cur Maiz Europæis frumentum Turcicum appelletur, neque opus cum Acoſta de hujus appellationis ratione dubitare. Sinenſes eo quoque utuntur. *Cia* ſive *Chica* potus ex leguminibus Perſarum, Turcarum, Sinenſium, Iaponiorum quem calidum bibunt. Ejus nominis & virtutis potus Americanorum, magnum originis argumentum. Nam etiam ſi abundaret vineis America, vinum tamen nulla ejus gens confecit ut neque Tatari vel Sinenſes.

CAP.

CAP. XIX.

Religio Scytharum. Turcarum. Sacerdotes. Papa. Ignis cultus. Deus ſummus. Hunnorum Idola. Zlotta Baba, Dabaiba. Natagais. Atavacan. Cor hoſtiarum Deo ſacrum. Ritus Chriſtiani apud Turcas jam olim. Crucis cultus. Sunt tenaciſsimi antiquorum rituum. Thomas Apoſtolus in India notus. Etiam in Braſilia. De eo traditiones. Lerii opinto. Mar Tomas.

DE Scythica Religione breviores erimus, quod Herodotus & alii antiqui, non niſi pauca de ea tradant. A Tauris Dianam, ab omnibus ſub acinacis imagine Martem cultum conſtat. Maſſagetarum communis Deus Sol. De Turcarum priſca Religione compendio Nicephorus libro XVIII. c. XX. *Ignem, aërem, aquam, colunt; Solam terram adorant. Deum qui cœlum & terram condidit nominant, cui equis, bobus & ovibus Sacra faciunt. Sacerdotes ipſorum futura præſagiunt.* Benjamin Tudelenſis hoc tantum tradit, *quod ventum colant*, ſicut Lucianus in Toxari, *omnium Scytharum eſſe per ventum & acinacem jurare.* Religioſi Turcarum, Giomailer & Derviſii Americanos Sacerdotes repræſentant. *Giomaileri* capillitio promiſſo, annulatis auribus, cymbala pedibus geſtantes, præcincti hirſuta pelle, cætera nudi. *Derviſii*, ut Mexicanorum Sacerdotes, omnes etiam capitis pilos abradunt. Ipſorum maximus

mus Pontifex *Aſſambaba* vocatur, id eſt pater patrum. Mexicanis *Papa.* Ignis cultus apud Turcas & Tataros, authore Benjamino Tudelenſi & Nubienſe Geographo. Mexicani quoque in ſuo templo perennem ignem coluerunt. Dii Americanis & Tataris fere iidem: Vnus inviſibilis & ſummus, reliqui elementa, creaturæ, heroes. De Tataris Planocarpus: *Vnum Deum creatorem viſibilium & inviſibilium agnoſcunt. Solem tamen, ſtellas, ignem, aquam, terram, adorant & venerantur. Credunt quod poſt mortem in alio orbe vivant eodem modo quo hic. Divinationibus, auguriis & incantationibus dedititiſſima gens.* Septentrionalibus Hunnis eadem Idola quæ & Americanis. *Premskii* ſtellas adorant, ligna, lapides. *Obdoræ* & *Condoræ Zlottam Babam*, Saxum muliebri forma ad ripam fluminis Obi colunt, cui etiam animalia ſacrificant & omnia ejus membra ſanguine tingunt. Dicitur reſponſa reddere conſulentibus ut Delphicum oraculum. Hujus Idoli duobus in locis apud Americanos indicia reperta. Apud *Pipeles* in Guahutimalla, muliebri forma lapis cultus. In *Dariennenſi* Iſthmo, *Dabaiba* mulier, religioſè & ut Dea, adorata, ubi etiam nominis veſtigia expreſſa, prima tantum omiſſa ſyllaba. Hoc etiam ad rem noſtram facit quod Venetus ſcribit Tatarorum Deum *Natagain* fuiſſe. Quem Vincentius *Ithogam* vocat, qui procul-

proculdubio idem Deus cum *Idoſci* Iaponenſium Idolo. Haud multum diverſi nominis Americani Deum habent. Nam Canadenſes *Atavaçan* colunt : quæ vox eadem fere cum Natagai & Ithoga eſt. Id quoque Vincentius refert: *cor hoſtiarum huic Deo conſecratum fuiſſe.* Nec dubito quin idem in humanis hoſtiis factum ; quibus olim eos ante Cinguin litaſſe, conſtat. Ita igitur mos per corda ſacrificandi, quo omnis Mexicana uſa eſt, à Tataris ortus. Etiam ex panno Tataris Idola & penates, ad imaginem hominum facta. Similibus Floridanos, Aitanos & alios quanquam ex diverſa materia, ligno vel goſſypio, uſos legimus. Sunt etiam ex Tataris, qui Idola non habent, apud quos cujuslibet familiæ progenitor colitur. Quod in Braſilia latè obtinet. Ritus Chriſtianos complures Turcis olim & Tataris receptos fuiſſe conſtat. Cujus inſigne apud Nicephorum loco ſæpè citato argumentum extat. Ex quo colligimus jam diu ante Mauritium Imperatorem crucis cultum apud Turcas fuiſſe. Refert *ejus gentis homines à Coſroe ad Mauritium Imp. Conſtantinopolim miſſos, qui Cruces atramento frontibus inſcriptas gerebant.* Interrogati unde id haberent, reſponderunt: *gravem ante plures annos in Turcia & Perſia peſtem fuiſſe; contra quam, ſuaſu Chriſtianorum cruce uſi & ita liberati ſint.* Sigebertus in Chroni-

co propter eandem causam *Turcas in crucis modum tonsos*: & idem Tataris ac Cumanis in usu fuisse Bonfinius refert. Crucis apud Americanos in Iucatana, Cumana, & alibi, usus repertus. Vt & hæc ex Religione Christiana & alia potuerint Americæ inferri. Nam Turcas rituum peregrinorum tenacissimos esse Busbequius notavit, cujus verba apponere visum. Turcæ, inquit, *antiquorum rituum tenacißimi sunt, etiam qui apud alios populos in usu. Rogati cur ita faciant*, respondent, *multa extare antiquitus instituta quorum utilitatem diuturnus usus approbavit, causæ ignorentur. Plusquam se scivisse & vidisse veteres, non esse convellenda eorum placita, malle ea servare quam cum suo damno mutare. Quæ opinio apud nonnullos adeo invaluit, ut sciam quosdam sacro baptismate voluisse filios suos in occulto lustrari, quod dicerent se suspicari eum ritum aliquid boni continere.* Sed quod de Christiana Religione Turcis olim & Tataris non incognita, meminimus, eleganter illustrari rara observatione potest: S. Thomam his gentibus vel prædicasse Euangelium, quod multi volunt, vel saltem innotuisse. Nam Brasiliani meminerunt cujusdam Sancti Viri, & ut ex narratione ipsorum patet, Christiani, quem *Meyre Humane* vocant. Guarais qui provinciam Sanctæ Crucis in montibus tenent, *Paicuma* dicitur: unde & primos Monachos Hispanos

ſpanos Paicumas appellarunt. Hunc S. Thomam eſſe duplici argumento colligimus, ex nomine & ex Hiſtoria. Nomen quod attinet: *Meyr* ipſis in genere peregrinus dicitur, barbatus, veſtitus. *Human* ex voce Thomas expreſſum eſt, ſolo T abjecto. Terminatio in diverſis linguis plerumq; variat ſicut Ὀδυσσεὺς & Vliſſes, Aias & Ajax. Hiſtoria magnam lucem huic narrationi affert. Quæ enim Braſiliani de Maire Humane, eadem Orientales Indi Malabares de S. Thoma narrant. Lerius: *Ante innumerabiles Lunas veniſſe ad majores ſuos virum barbatũ & veſtitum, qui fidem in Deum tradiderit, more Chriſtianorum.* Addit Stadius, *edita ab eo multa miracula moremq; tonſuræ qua utuntur, primum oſtendiſſe.* Quare cũ & nomen, & quod narrant barbari, ſi tonſuram excipias, Thomæ conveniat, non ignotus ipſis videtur fuiſſe. De hoc quæritur: *Veneritne Thomas in Americam & ibi prædicarit, an ex Tataria ejus notitiam intulerint illæ gentes?* Quorum prius Lerio probatur, eo argumento, *quia in omnem terram exivit ſonus Apoſtolorum.* Altera tamen ſententia certior. Nam multa indicio ſunt Braſilianos à Tataris ortos. Deinde conſtat Thomam in Tataria, Sinis, India, Euangelium prædicaſſe & ibi occiſum: nulla vero ejus in Americam profectionis & reditus. Vnde ejus ex Tataria memoriam illatam putarim vel ab ipſis Braſilianis, vel iis

unde

unde hoc acceperunt, populis. Celebratur etiam apud Indos alius *Mar Tomas* id eſt Dominus Thomas, qui collapſam Religionem Chriſtianam ibidem inſtaurarit circa An. Ch. IↃC. De quo Ludovicus Guzmannus in Indicis expeditionibus & Ioh. de Bairos ac alii. Sed hic recentior quam ut ejus notitia in Braſiliam venire potuerit.

CAP. XX.

America etiam ex auſtrali terra habitatores accepit. Sententia Grotii. Latii.

ITa per Septentrionem America cultores à Scythis & Hunnis accepit. Pari modo, per auſtrum, ex magno illo terrarum tractu, qui ſe ab India Orientali uſque ad Magellanicum fretum extendit, immigraſſe barbaros, Hugo arbitratur. Quod ita probat: *Eos qui prope fretum Magellanicum ſunt*, eodem fuiſſe corporum *habitu, moribus ac lingua, quo illi qui ultra id fretum ſedes habent, omnes qui de eo tractu ſcripſere, conſentiunt. Quare cisfretanos à transfretanis ortos credi par eſt.* Ad quæ verba Latius: *Vt de moribus* inquit *concedam, (ſunt enim utrique incultis, feris atque adeo immanibus) de corporum habitu minime conſentiunt omnes qui de eo tractu ſcripſere, uti nec de lingua. Interea nõ nego è transfretanis partibus Americæ hanc meridionalem incolas*


las accepisse, non solum qua fretum illud attingit, sed etiam longe lateque intra continentem. Observatum enim multos populos ab austro ad arctum promovisse, è Toupinamba illos qui juxta fluvium Ianuar. degebant tempore Ioh. Lerii, nunc magnam partem juxta Marannonem inveniri, maximum terrarum spatium emensos. Quanquam idem Clarissimus vir, in notis ad secundã Grotii dissertationem, nihil certi afferat, & magis in hanc sententiam inclinet: *terras australes ex ipsa America cultores accepisse.* Verba ejus sunt: *Potuit continens illa Fernandi de Quir, facilius incolas accipere ab America, quam hæc ab illa. Verum hoc in medio relinquo.*

Sed quoniam via quæ Thebis Athenas, etiam contra Athenis Thebas ducit, ideo utrumque statuerim, mutua vicissitudine, fretum Magellanicum, & ex America in australes terras, & ex austro in Americam, transgressos barbaros. De eo quæritur, ex quibus regionibus Australes orti sint? Audiamus Hugonem: *Illam orbis partem quæ trans fretum est, & quæ inde longo tractu, partim continuis terris, partim modicis fretis intercurrentibus sub novæ Guineæ nomine, ad usque Giloli, Iavæ & aliarum Indici Oceani insularum conspectum se porrigit, australem dictam, in Tabulis, non aliunde quam ab ipsa Iava aut Gilolo habitatores veteres accepisse, credibile est.*

Et

Et in ſecunda diſſertatione: *Quod ſi à freto Magellanico pone fretum Lemairii continuus eſt terrarum tractus ad ea uſque loca quæ Gilolum & Iavam reſpiciunt, ut multos ſuſpicari video, & ſacris ſcripturis credimus, ex Aſia ortum omne humanum genus, unde potius quam ex ipſa India Aſiatica veniſſe credamus illos qui magnam illam terram Antarcticam colunt, in omnem partem me verſans, cogitare nequeo.* Ac paulo poſt: *Giganteæ magnitudinis homines & in Aſiatica India; & in Americæ parte auſtrina & ad Mairianum fretum fuiſſe repertos.* Quod argumentum nullius ponderis eſt, cum gigantes nuſpiam non reperti; etiam in Peru & Mexico fuerint. Itaque Latius hanc Antarcticæ gentis originem ex India adeo incertam eſſe dicit, ut fere improbet. *Incolas* inquit, *Americæ meridionalis ad fretum Magellanicum, ab Iava aut Gilolo, aliiſque, maris Indici inſulis accerſere, conjectura haud ſatis certa nititur, ita ut malim judicium ſuſpendere quam ferre.* Vt expenſis omnibus, incertum maneat, an America ex Antarcticis terris, an vero hæ ab illis incolas acceperint? Nam quominus ex India orti credantur Americani, ſupra libro primo rationes allatæ ſunt, cum maxima eorum pars Æthiopes ſint, quorum non niſi pauciſſimi in America & longiſſime à freto Magellanico reperti. Hæc de Hunnica origine.

Finis Libri Tertii.



DE ORIGINE GENTIUM AMERICANARUM

LIBER QUARTUS.

CAP. I.

Origo Americanorum Chatæa & Sinensis. Cujus indicium cultus elegantior. Contra quam videtur Latio & Brerevvodo. Quos Peruani & Mexicani confutant. Cultißimi Peruani. Iis similes Chilenses.

DIctum de Hunnica origine. Sequuntur Chatæi & Sinenses, quos in Americam per mare pacificum venisse multa arguunt. Sanè cum major in Mexicana & Peruvia cultus observetur, quam qui ab illa barbarie proficisci potuerit: dari gentem necesse est politiorem à qua illam vivendi rationem compositam, artificia, structuras, politiam, scripturam, libros, magnum ad quævis studia ingenium, hauserint.

Hæc

Hæc omnia non ab illis demum reperta: ſed in Americam ex illis unde venerunt regionibus illata, planè ſtatuendum eſt; contra quam Latius & Brerevvoodus arbitrantur. Quorum hic, ut probet Americanos non aliunde quam à Tataris originem trahere, etiam hoc argumento utitur: *Quod in America non obſerventur ulla indicia artium & induſtriæ aut Chinæ aut Indiæ aut Cataiæ aut alterius civilis regionis ad omnem oram Aſiæ, ſed contra in craſſa ignorantia literarum & artium, in Idololatria, incivilitate morum & multis barbaris proprietatibus referant antiquos & rudes Tartaros ſupra omnes nationes univerſi.* Quæ temerè & nullo fundamento dicuntur. Quis enim ſtupendam Mexicanorum & Peruanorum magnificentiam & in artibus pleriſque admirabilem dexteritatem à rudiſſimis Tataris deducat? aut eorum maximas ac noſtris æmulas urbes exiſtimet à Tataris Hamaxobiis ac Nomadibus exſtructas? Neque hic cum Acoſta ad quorundam in illa Tatarica barbarie ſagacitatem, qua & Imperia fundarint & illum cultum introduxerint recurrendum eſt. Mirum enim profecto eſſet in tanta gentium multitudine duas tantum nationes undique craſſiſſima immanitate cinctas & tam longe diſſitas, emerſiſſe. Omnium Americanorum ſi mores & Imperium moderatum ſpectes cultiſſimi Peruani fuerunt, quip-

quippe ab humanis ſacrificiis alieni, qua in re eorum innocentiam contra Acoſtæ criminationes luculenter Inca Garcilaſſo vindicavit. Nec obſcura ratio cur hac in re ipſis barbariores Mexicani: permixtos enim Chichimecis & homiedonibus ipſe Motezuma Corteſio faſſus fuit. Contra Incæ hujus contagionis immunes, priſtinum cultum qualem Americæ intulerant, retinuerunt & in ſuo imperio propagarunt, iſque bellorum ipſis prætextus & juſta ſæpe cauſa fuit. Parum à Peruanorum vivendi ratione Chilenſes recedebant, ſive ab iis originem trahentes, quod Latio non probatur, ſive propter viciniam ac mutua bella, ſive à ſimili, id eſt culta gente profecti. Igitur omnibus rite perpenſis, non aliunde quam à Chatæis, Sinenſibus & Indis Orientalibus Mexicani, Peruani, Chilenſes, ac ſi quæ porro cultiores, originem ſuam acceperunt. Quod nunc demonſtrandum eſt.

CAP. II.

Chataia. Chatæ. Kithæ. Kara Kithai. In qua Presbyter Iohannes. De quo inſignis locus ex Rubruqui. Dubitationes & errores Munſteri & Scaligeri. Duplex Presbyter Iohannes Abyßinus & Catainus. Preſter Chan. Preſtegan. Belul Gian. Presbyter Iohannes hodieque in Cataia regnat. Kircheri ineptiæ.

CHATAIA cultior Scythiæ pars, priſcis non incognita fuit. Sunt apud Ptolemæum

mæum *Chata*, quorum regionem Strabo & Curtius *Catheam* appellare videntur. Recentiores *Kitham* vocant; quæ duplex, una *KaraKithai* id est nigra, altera simpliciter Kithai. Kara Kithai incultior est, & magnam Tatariæ partem quæ extra Sinas jacet, complectitur. Reliquum Cataiæ jam ante annum CIƆ CCL ad Sinam spectavit, ut ex Rubruqui & Marco Paulo Veneto patet. In Kara Kithai famosus ille Presbyter Iohannes sedem suam & dominationem habuit, de quo quia multa fabulose jactantur, operæ pretium est audire nunquam satis laudatum Rubruquin: *Quo* inquit *tempore Galli Antiochiam ceperunt* (quod Anno CIƆ XCVIII. factum) *quidam nomine* Con Can *dominabatur in Kara Kithai & contiguis ad Septentrionem regionibus, unde egressi sunt Turcæ. In ea Kara Kithai quidam Nestorianus opilio, potens Princeps populi Yayman fuit & post obitum Con Can regnum Cataiæ invasit ac à Nestorianis* Iohannes *dictus est, qui multa de ejus magnitudine confinxerunt & mentiti sunt, unde tot in Europam fabulæ de illo Presbytero Iohanne dimanarunt. Ei frater fuit & ipse potens opilio nomine Vnt qui habitavit trans montes Cara Kithai itinere trium septimanarum à fratre suo Iohanne remotus. Subjecti ejus vocabantur Crit sive Merkit & etiam erant Nestoriani. Oppidum ejus erat Caracarum; sed ipse defecit à Christo ad Idola, & fratri suo Iohanni*

sine

mascula prole defuncto successit, ac nomen Chan assumsit. Quindecim dierum itinere ab ejus pascuis habitabant gens inops & misera Moali, his vicini erant Tatari. Cumque Vnt Can usque ad Moalos cum suis gregibus pervenisset: quidam faber ferrarius inter Moalos nomine Cyngis tot pecora clam abegit quot potuit. Pastores conqueruntur apud Vnt, Canum, is cum exercitu ad Moalos inquisiturus illum abigeum contendit: Sed ipse ad Tataros confugit & inter eos latuit. Vnt Can depradatus Moalos & Tataros, ad sua reversus est. Tum Cyngis ad Moalos & Tataros dixit: Quia non habemus Principem, ideo à vicinis opprimimur. *Creatus à Tataris & Moalis Dux, exercitu comparato Vnt Canum subito oppressit & in Cataiam fugavit. Sic cum Tataris suis progressus, nomen eorum longe lateque propagavit. Nam quia Tatari ubique præmissi, populus iis visis, exclamavit,* Tatari veniunt. *Sed continuis bellis Tatari fere omnes absumti, & Moali omnibus modis nomen eorum abolere ac suum exaltare student. Regio in qua primo habitarunt & ubi regia Cingis Can hodieq; superest vocatur Mancherule: Sed quia ex Tataria expeditiones suas susceperunt, ideo eam habent pro regia civitate ac ibi plerumque eligitur Magnus Can.* Hæc Rubruquis, cujus integrum afferre locum visum, quia insignis & multos aliorum errores de Presbytero Iohanne ac initio Tatarici Imperii clarè confutat. Cum ejus narratio-

ne ea quæ Zaccuth in Iuchasin & Paulus Ve-
netus tradunt, satis conveniunt, quanquam le-
ve in nominibus discrimen, errore haud du-
biè scribarum, reperiatur. *Con Can* Zaccuth
est *Tagan, Vnt chan Vnad chan* & Veneto *Vncam*
Aliorum errores referre piget. Id doctos ve-
hementissimè torsit, quomodo idem in Æthio-
pia sive Abyssina & Tataria Presbyter Iohan-
nes. Quod cum Sebastianus Munsterus caper-
non posset, dubitare quam certi quid asserer-
maluit; Scaliger vero, ex India à Tataris pul-
sum Presbyterum Iohannem in Africam clas-
se fugisse ibique Imperium condidisse, finxit.

Sane utrique nomen Presbyteri Iohanni-
ab Europæis, sed diversas ob causas, impos-
tum; Abyssino quia is in Oriente à Persis &
Indis *Prester chan* id est Rex mancipiorum di-
citur, quod ingens eorum copia ex Abyssini-
petatur; Cataico quia *Prestegan* Persis siv-
Nestorianis hominem Apostolicum id e-
Christianum notat. Vnde suum Iuhanna Ne-
storiani splendido titulo *Prestegan* appellarun-
quasi dicas Regem Christianissimum. Porr-
Petrus Couillanius à Iohanne II. Rege Por-
tugalliæ in Persiam & Indiam missus cum au-
divisset ibidem Neguzum Abyssinum voca-
Prestechan & de Presbytero quoque Iohann-
Asiatico aliquid intellexisset, qui jam ex Mar-
Pauli Veneti & Iohannis Mandevilii narratio-

ne notissimus erat, occasionem errori vulgari præbuit rebus nondum satis exploratis. Nomen Iohannis Abyssino impositum quod is à suis *Belul Gian* id est gemma pretiosa appelletur, vel ex voce *chan*, non vero à *Cohen* id est Sacerdos, ut Angelus à Roccha de Camerino in Bibliotheca Vaticana falso putavit. Esse hodieque in Cataia Regem Presbyterum Iohannem ac ibi late rerum potiri Antonius Andrada Lusitanus qui Anno cIↃ IↃCXXIV ex regno Magni Mogolis eam regionem detexit, asserit, quemadmodum etiam Paulus Venetus & Mandevilius suo adhuc tempore superfuisse Presbyterum Iohannem in Cataia regnasse scripsit, nec penitus à Tataris excisum sed iis tributarium factum. Kircherus in suo Copto risum movet, qui in honorem Ionæ Prophetæ ita dictum nugatur & in occidente Presbyterum dictum quod crucem sibi præferri curaret Quæ mera somnia & ineptiæ sunt.

CAP. III.

Cataia Septentrionalis Sinæ pars. Quando conjunctæ. Marci Pauli Veneti itinerarium corruptum. Paquin est Cambalu' Alio nomine Taydu, & Tayth. Murus Sinensis recentior est. Errores Geogrophorum.

IPsa Cataia non unum semper cum Sina regnum fuit, quod Trigautium & alios velle video: sed Septentrionales tantum ejus pro-

vincias complectebatur. Nam Mangi Sinarum regnum proprie sic dictum est, cujus metropolis Quinsai, Cataiæ Cambalu. Quinsai alias Nanquin, quæ etiam Iatiensu appellatur, quia præfectus Regius ibi degit. Ex Nubiense patet adhuc circa A. Ch. cIɔ cL Sinam & Cataiam diversa regna fuisse. Nam parte nona climatis tertii ponit regionem Tobbat & Sin, & parte decima dicit Terram Sin à Septentrione attingere terram Kaimachitarum. Et climate quarto tradit Regem Kaimachitarum quibusque Regibus potentia & fastu parem esse. Dolendum est Marci Pauli Veneti iter tot mendaciis ab impostore quodam contaminatum. Quis enim credat illa quæ de Quinsai scribit, pontes in ea lapideos duodecim mille altissimis subnixos fornicibus fuisse ita ut naves erectis malis ea pernavigare potuerint? Et quot errores in catalogo Imperatorum Tatariæ admissi? Nam si Cingin, Mangonem & Cublai excipias cætera corruptissima sunt. Omittitur Oktai. Allan præponit Mangoni, deinde eundem Imperatoribus Tatariæ inserit, cum Rex tantum Persiæ fuerit. Purchasius fraudem sensit. *Multos* inquit *authores corruptos vidi, sed nullum corruptiorem quam Latina Pauli Veneti editio est. Ramusius edidit Italicam versionem quæ aurea est si cum Latina comparetur.* Igitur demum circa A. cIɔ ccc LX Cataia &
Mangi

Mangi in unum Sinenſe regnum coaluerunt, cum pulſi ab Homvu Tatari nihil præter regnum Caſcaris retinerent. Tum Sina in Septentrionalem ſive Paquin, & Auſtralem ſive Nanquin fluvio Ianſuchian diviſa. *Paquin* Septentrionalis partis metropolin eſſe ipſam Cambalu ſatis jam conſtat. Ita enim eam Tatari, Mogoles & Saraceni appellant, neque alibi quam in Cataia ſitam agnoſcunt. Habet & aliud nomen. Nam cum Kublai Magnus Chan eam ad alteram ripam fluminis Poliſangi tranſtuliſſet, dicta fuit *Taydu*, Veneto teſte. Et Tayth eam Ruſſi vocant, qui nuper ex Ruſſia in Cataiam uſque penetrarunt. Quod vero Trigantius latitudinem quinquaginta graduum Paquino adſcribit, in eo erroris convincitur. Nam ipſa Sina ad gradum XLII. famoſo illo muro terminatur. Ergo Paquin vix XL. graduum. Abulfeda apud Ramuſium dum XXXV. gradus ei aſſignat, Cambalu cum Nanquino confundere videtur. Redacta demum in unum regnum Cataia & Mangi, ingens ille regni Sinenſis contra Tataros murus exſtructus fuit. Quanquam ipſi Sinenſes antiquiſſimum faciunt & à Tzintzone circa A. M. exſtructum volunt. Apud Purchaſium ejus conditor *Criſagnol* dicitur qui A. Chr. IↃXXVIII. vixerit. Recentiorem eſſe illum murum An. Ch. CIↃCC ex Paulo Veneto patet, qui ejus nu-

ſpiam meminit, non præteriturus ſiquidem jam tum fuiſſet. Proculdubio Homvu ille Sinenſis Imperii inſtaurator ſtruendum curavit. Vulgares tabulæ Geographicæ duos inſignes errores in Sina committunt. Primo dum eam tertia ſui parte majorem faciunt quam revera eſt, ultra gradum quinquageſimum extendentes, ita ut ſitus Paquini ſive Cambalu in quinquageſimum gradum incidat. Deinde ſupra hanc Chinam collocant aliud regnum quod Cataiam vocant ejuſque metropolin Cambalu. Quæ omnia miſerè diſtorquent illarum regionum poſituram. Et in his fruſtra à novis Atlantibus auxilium ſperes, qui veteres errores incruſtant non tollunt, & nihil fere in tota Aſia ſani habent.

CAP. IV.

Sinenſes. Eorum varia nomina. Cultum ſuum Ægyptiis & Phœnicibus debent. Qui colonias in Indiam duxerunt. Et Aſiam ſuperiorem. Sinæi. Ab his Sinenſes. Locus Eſaiæ vindicatus. Syriaca in Sinis. Ægyptiorum vaſta potentia. Eorum cum Sinenſibus convenientia. Maximè quoad Scripturam & literas. Ladrones ab Ægyptiis. Dii Sinenſium.

SINENSIVM nomine intelligimus non ipſos Catainos, ſed qui ad meridiem in regione Mangi habitant. Ptolemæus Sinas vocat, eorumque metropolin *Thinas* quæ Stephano

no *Sinæ*, unde idem Thinarum & Sinarum nomen. Ipsis Sinensibus hoc nomen incognitum est, nec diu uno utuntur. Quandocumque nova familia imperium auspicatur, novum regno suo nomen imponunt. Aliquando vocabatur *Than*, id est, valde magnum. Tum *Yu*, requies. Deinde *Hia* magnum, *Sciam* adornatum. *Cheu* perfectum. *Han* via lactea cœli. Sub familia quæ hodie regnat *Tamin*, regnum magni splendoris. Hinc non eadem in Sina ac extra eam nomina. Cauchin chinæ, Cocinenses, Siamitæ vocant eam *Ciu*, Iaponenses *Than*, Tatari *Han*, Saraceni *Cataiam*. Communi tamen nomine à Sinensibus etiam vocatur *Coumano* regnum, & Chiumbea, hortus. Quoniam vero multa præ cæteris Indiæ gentibus peculiaria Sinenses habent, operæ pretium est de eorum origine aliquid in medium afferre. Non dubium est quin a Scythis & Indis originem primam traxerint: Sed incrementum, cultum, literas, artes, ex Ægypto & Phœnicia accepisse videntur. Multa argumento sunt, antiquissimos Ægyptios & Phœnices in Indiam colonias duxisse. Vt nunc nihil de Bacchi & Herculis expeditionibus dicam, quos Phœnices fuisse antiquorum opinio est. Supra ostensum, qua ratione Phœnices universum occidentem coloniis suis pervaserint. Quin pari occasione Orientem quoque frequentarint, sicut nunc Hispanos, Lusitanos,

Belgas, Anglos, facere videmus, quis ambigat? Tyros Phœnicum colonia ad Euxinum Pontum quam fluvius Tyras perſtringit, apud Ammianum Marcellinum. In Sinu Perſico inſulæ Tyrus & Aradus; quarum incolæ contendebant, Sidonios, Tyrios & Aradios ſuam coloniam eſſe, teſte Strabone. Cappadoces Caphthoræorum propago, unde Syri & Leuco Syri dicti ad diſtinctionem Syrorum intra Taurum coloris aduſti. A Gergeſæis Georgiani & Circaſſi, ut Benjamin Tudelenſis & Genebrardus vult. Cercaſi etiam in Ægypto inter Peluſiacum & Canopi oſtium apud Herodotum in Euterpe. Colchi Ægyptiam originem aperte profeſſi ſunt. Inter alias Phœnicum gentes Sinæi fuerunt, à quibus Sinenſium nomen & coloniam fluxiſſe parum abeſt quin credam. Habitarunt illi primo circa Sinam Arabiæ & Syenem Ægypti. Poſt adſcenſum Iſraëlitarum ex Ægypto nulla amplius Sinæorum mentio in catalogo apud Ioſuam capite tertio. Niſi quis regionem Decapolis Zin huc referre velit, pro quo codices plerique legunt χωραζὶν una voce, quaſi oppidum eſſet. Origenes autem in Philocalia aliquoties diviſim habet χώρα Σὶν. Sinenſium meminiſſe videtur Eſaias capite quadrageſimo nono. Nam quod Cornelius à Lapide hoc ad Prophetiam meram refert; & Prophetam per anticipationem ita locutum vult,

nimis

nimis violentum eſt. Nam receptum Sacris Scriptoribus nomina gentium uſitata, à primis plerumque conditoribus, uſurpare, ut Aſcenaz, Gomer, Riphat, Magog, Kittim. Tum Syriaca quædam Ptolemæi ævo apud Sinenſes nomina, ut *Kartha Syna*, *Karthenaga* urbes Indiæ extra Gangem. Ex Herodoto, Strabone, Tacito, conſtat olim ampliſſimam Ægyptiorum fuiſſe Monarchiam & uſque in Sinas extenſam. Verba Taciti ſunt: *Mox viſit* (Germanicus) *veterum Thebarum magna veſtigia & manebant ſtructis molibus literæ Ægyptiæ priorem opulentiam complexæ: juſſuſque è Senioribus Sacerdotum patrium ſermonem interpretari, referebat*; habitaſſe quondam ſeptingenta millia ætate militari: atque eo cum exercitu RegemRhamſem Lybia, Æthiopia, Mediſque & Perſis & Bactriano ac Scytha potitum: quaſque terras Suri Armeniique & contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum hinc Lycium ad mare imperio tenuiſſe. *Legebantur & indicta gentibus tributa haud minus magnifica quam nunc vi Parthorum aut potentia Romana jubentur.* Herodotus *Seſoſtrem Imperium uſque ad Thraces & Scythas extendiſſe ac relicta ad Phaſin exercitus parte Colchos condidiſſe tradit*, quod præter circumciſionem etiam lingua comprobat quam Colchis & Ægyptiis eandem fuiſſe, Euſtathius in Dionyſium Afrum ſcripſit. De Seſoſtri Diodorus:

dorus: *domuisse totam Asiam & extra Alexandri aras progressum Gangem transivisse & Indiam ad Oceanum usque permeasse.* Idem alibi: *Osmanduam Regem Ægypti, rebelles Bactrianos domuisse.* Et *Osiridem multas colonias ex Ægypto in Indiam duxisse.* Tacito Strabonem jungimus, cujus verba sunt: *Thebis obelisci inscriptum habent quæ Regum illorum divitiæ & potentia fuerit, atque Imperium usque in Scythiam & Bactrianam & Indiam & quæ nunc Ionia dicitur, propagatum, tributi quoque magnitudinem & exercitus.* Quæ sane luculenta indicia sunt, Ægyptios cum vicinis Phœnicibus in Sinam venisse; & in ea reliquias linguæ Ægyptiæ, Æthiopicæ, Syriacæ etiamnum superesse Kircherus testatur, quod ipse quidem ad prædicationem Euangelii lingua Syra factam, ego etiam ad originem refero. Nec abludunt mores. Apud Ægyptios pariter ac Seres viri coquunt, pensa trahunt, rem domesticam curant; fœminæ munia publica obeunt, testibus Herodoto, Epiphanio, Mela, quibus ex Diodoro Gorgonas addere licet. Pullos arte excludunt & Ægyptii & Sinenses. Tum constat Mathematicas disciplinas una cum scribendi ratione ab Ægyptiis & Phœnicibus ad alias gentes fluxisse. Marcellinus: *Per mundum omnem Mathemata ab Ægypto circumlata.* Pleni in eam rem sunt veterum libri. Ægyptios picturis & rerum notis repræsentasse scriben-

ſcribenda iidem aſſerunt. Singulæ literæ ſingulis vocabulis, imo integræ interdum ſententiæ inſerviebant. Et hæ poſtea appellatæ Sacræ; quæ partim picturis conſtabant, partim notis. Nam etiam profanas habuerunt & vulgari uſu receptas, quales hodieq; Coptitarum. Nemo exactius de antiqua Ægyptiorum Scriptura Apuleio: *Profert de opertis adyti quoſdam libros literis ignorabilibus prænotatos, partim figuris cujuſcemodi animalium, partim nodoſis & in modum rotæ tortuoſis capreolatimque condenſis apicibus à curioſa profanorum lectione munitos.* Quæ examuſſim Sinenſium literis competunt & libris, in quibus picturæ pariter ac tortuoſi capreolatimque denſi apices; ut inſpicienti patet. Eadem ferè Mexicanorum ratio fuit. Vt de Ægyptiorum & Phœnicum in Indiam & Scythiam adventu dubitandum non ſit. Quanquam id ſuſque deque habeamus, quod Ladronum incolæ à Magellano interrogati de ſua origine reſpondiſſe feruntur: *Se ab Ægyptiis profectos.* Narrat hoc in Indicis Gomara, quod mihi quidem perquam fabuloſum videtur, nec credibile gentem illam Ægypti nomen per tot ſecula retinuiſſe. Porro Sinenſes olim magnam cum Ægyptiis & Phœnicibus affinitatem habuiſſe, etiam alia oſtendunt. In catalogo gentium quæ Iovem Hammonem coluerunt Lucanus etiam Indos ponit, cujus verba ſupra retulimus.

tulimus. Sinensium & Iaponiorum duo magni dii *Xacam* & *Amida* sunt. Habent etiam *Cames*, qui iidem cum Zemes Aitanorum videntur, id est, lemures, lares, forte à *Chemos* Phœnicum Idolo. *Teuth* Deus Ægyptiis, Sinicè *Teu*. *Chon* apud Ægyptios Hercules, quanquam Seldenus dubitet: in Sina *Confulus* literarum & artium inventor. Olim quidem, Ptolemæi adhuc ævo, Sinenses australiores fuerunt, ubi hodie Bengala, quam Arabes etiamnum *Sin* appellant; progressi postea longius in Septentrionem.

CAP. V.

Sinensium, Iaponensium, Coreanorum, in Americam navigationes. Ex relatione Epicerinorum. Ad Quiviram visæ Sinenses naves. Et supra Floridam. Et ad Quatulco. Facilis navigatio per mare pacificum.

SEd his omissis, navigasse in Americam Sinenses, Catainos, Iaponenses, Coreanos aliasque Indiæ & Scythiæ gentes, ac ibi colonias aliquot reliquisse, certis argumentis deprehensum fuit. In Canada *Epicerini* gens ex commerciis Huronibus cognita, referunt; *longissimè occidentem versus alium populum habitare qui afferant peregrinos mercatores grandibus subinde navigiis ad illud littus appellere, eosque imberbes esse*. Quo nihil clarius pro Sinensium in Americam navigatione dici potest. Visas ad

Qui-

Quiviram naves quarum puppes auro & argento cælatæ fuerint Franciſcus Vaſquez de Coronado narravit, idque Iaponiis & Sinenſibus receptum Maffeius in Hiſtoria Indica & Ludovicus Frois in Epiſtolis rerum Iaponicarum tradunt. Repertas in Mari del Nord ſupra Floridam fractas Sinenſium naves Petrus Melendezius Regis Hiſpaniæ Archithalaſſus apud Acoſtam teſtatur. Hæ proculdubio ſunt illæ naves de quibus Epicerini gens circa Quiviram habitans. Nam ex Aſia in Americam navigantes ſupra Tropicum cancri enituntur & ad Quiviram vel Californiam primo, inde littora legentes, ad novam Hiſpaniam appellunt. Hinc ad Quatulcanos olim ejuſmodi peregrinos mercatores advectos conſtans in ea parte fama eſt, quos Sinenſes & Iaponenſes fuiſſe inde cognitum, quia ſerico induti: quia longe ab occidente adnavigarunt. Nec exiſtimandum difficiliorem illam navigationem quam ut à Sinenſium navibus obiri potuerit. Nam mare inter Sinas ac novam Hiſpaniam Briſis ſpirantibus ab Occidente in Orientem facilè navigatur. Sæpe naves quinquaginta vel ſexaginta diebus ſecundo vento ſuaviſſime navigant. Anno cIↃ IↃ LXXXIV. ex Callao de Lima navis menſe Februario & Martio fere ſemper ſub æquatore ſecundis ventis uſque in Manillas navigavit. Eadem facilitate uſus fuit Al-

varus

varus de Mendanam cum Insulas Salomonis detegeret. In tanta navigandi & commoditate & peritia quid Sinenses prohibuit quo minus frequenter navibus suis Americam adirent, cum in Arabiam usque Nubiensis, alii usque in Africam navigasse testentur.

CAP. VI.

Sinensium, Iaponensium, Coreanorum, crebra per Americam mentio. Iapon. Ejus nomina. Quamdiu habitata. Chiapanecæ. Chiapa. Tonus Zipangi. Zipangri. Cames ac Tentum. Motazajuma. Insulæ inter Iaponiam & Americam.

HI igitur Cataini & Sinenses primo in viciniores insulas, Iapanem, Coream, Philippinas, inde in ipsam Americam navigarunt. Vnde Sinensium, Citainorum, Iaponensium, Coreanorum frequens per Americam mentio. Initium nobis à Iaponensibus erit. Sinenses Iaponiam à situ vocant *Iequen* id est initium solis: ipsi Iaponii *Gitpan* vel *Nitpon* teste Trigaultio. Volunt cultores ex Sina demum ante octingentos annos accepisse cũ hactenus inculta jacuisset, quod falsum esse multa ostendunt. Iam enim ante Iↄccc annos Rex Iaponiæ sive Dairus fuit qui Meaci tria millia & octingenta templa struxit. Nec unius originis Iaponenses, cum etiam Tatari in eam pervenerint; & sine dubio jam à plurimis retro seculis

culis culta fuit. Hujus gentis crebra passim in America mentio extat. *Chiapanecæ* originem suam nomine produnt, quos ex Nicaragua venisse Herrera docet. In Nicaraguam ex Guahutemalla, in hanc ex Mexicana & California venerunt. In Guahutemalla *Chiapam* flumen & provinciam, in Misteca *Totomachiapam* habes. In Mexicana *Chiapoli* lacus & gentis nomen, & non longe à Mexicano lacu oppidum *Chiapa*. In Trinitatis insula *Kar Iapan*. *Tamba* & *Gamangoxin* oppida Meaconi vicina. *Tumba* ad lacum Mexicanum. *Tumbez* & in ea *Guamanga*, Peruviæ Vallis. Mexicanos & Aitanos à Iaponensibus ex parte profectos etiam illud ostendit, quod quemadmodum apud Iaponios *Tonus* proceres, Solem, Lunam atque astra denotat: sic apud Mexicanos Sol *Tanaticus*, Luna *Tona*: apud Aitanos *Taino* nobiles & Regum Palatini. Certe apud Aitanos expressa Iaponiorum memoria. Quorum pars illam insulam *Zipangi* nominarunt; voce ab ea unde oriundi erant, ducta, quod Oviedus testatur. Quæ amissæ patriæ solamina sunt; sicut apud Maximum Poëtam Helenus in Epiro Trojam, addita Scæa & Simoente, struit. Et quam nos Iapan vocamus, M. Paulo Veneto jam circa A. Ch. cIↄ ccL *Zipangri* more Tatarico, vocatur, quod nomen propius ad Gipon & Nippon accedit. Vnde Columbus, incompa-

rabilis vir judicii, hoc audito nomine, *se ad Zipangren Asiaticam delatum* putavit. Vt mirandum sit quosdam plane eam in dubium vocare apud Gomaram, quasi nulla unquam Zipangri fuisset. *Cames* ac *Tentum* nomina Deorum apud Iaponios sunt. Quorum hoc Virginianis, illud Aitanis, eadem plane significatione, receptum est. *Motazaiuma* nomen Iaponium quo principes viri utuntur, cujus in Epistolis Iaponicis extat mentio, nomen Motenzumæ quod regium apud Mexicanos, proximè refert. Hi igitur Iaponenses ex suis insulis versus Orientem navigantes primo in alias insulas, tandem ipsam Americam inciderunt. Nam inter Iapan & Americam aliæ interjacent insulæ, Quemadmodum Sancius de Chinchon Sinensis nauclerus Francisco de Gualle narravit, *se in Iaponia vidisse homines exiguæ staturæ, caput linteo tectos, qui ex insulis ad Orientem Iaponiæ sitis venerint, & aurum ac gossypium attulerint*: easque insulas Gualle invenit cum ex Macao in Novam Hispaniam navigaret.

CAP. VII.

Corai. Ejus nomina. Situs. Asiæ continens. Coreani in America.

CORAI Sinensibus, *Coraß* Iaponiis, Caoli indigenis, Paulo Veneto *Caulis*, longitudinis

dinis centum, latitudinis ſexaginta milliarium inſula. Qua Aſiam reſpicit, ingenti trium milliarum flumine à Cataia abſcinditur, cætera Oceanus ambit. Et quia flumen non fretum inter eam ac Cataiam jacet, hinc Paulus Venetus & alii peninſulam & Aſiæ continentem faciunt. Hi Coreani primo in Californiam venerunt: quæ nomen ſuum à *Caoli* habet. Vnde brevis in Colimam trajectus, ubi & *Caligua*: in Xaliſco *Chacalla*. *Coringa* Provincia prope Chiapolam. Et *Calos* Floridæ Provincia latè ſparſos Coreanos arguit. In Popajan *Cali*, in Peruvia *Chili*.

CAP. VIII.

Cataia. Celebris in America. Cibola. Cambalu. Zuni. Cempoala. Quito. Chryſococcas corruptus. Cataini in America. Kitainorum nomen late patens. Gota. Chita. Quito. Caracato.

COream excipit ipſa Cataia: cujus in America clarum imprimis & celebre nomen. Nam qua latiſſime Septentrionem verſus America procurrit, & incertum etiamnum eſt ullane impoſterum habitabilis ora ſit, *Cibolæ* regnum jacet, pro loci natura oppidis frequens & incolis, & quod alibi non invenias in eo tractu, ibi ædes ex lapide trium contignationum, aliquid ſupra barbariem viſentibus ingerunt. Cujus nomen vel ex *Ciala* vel po-

tius · *Cambalu*, antiquiſſima Cataiæ regia non demum à Kublai ſtructa, ut multi volunt, ſed tantum in alteram fluminis Poliſangi ripam tranſlata. Ptolemæo *Sambalica*. Dubitantes *Zuni* confirmabit, quod alterum ejus nomen à regione, ut prius à civitate petitum. Regioni Cataiæ nomen *Ezina*: unde *Zuni*. *Cempoala* Novæ Hiſpaniæ à Cambalu. Et quemadmodum Cambalu Aſiæ vicinam Cunchi, Cialin, Quicui habet: Sic prope Cibolam *Cicui* & ejuſdem originis *Tucui*. *Conchin* quoque & *Cinaloam* ibidem invenies. Sed nihil mirabilius & pro hac origine clarius quam ipſum *Kitaia* nomen in America. *Quito* Cataiæ urbs ad lacum Cincuiay: unde totum regnum Kita dictum. Cujus urbis in Catalogo Illuſtrium civitatum, Chryſococcas ita meminit: Καθάϊα: μῆκος ρμη. λ. πλάτος: κα. μ. Vbi quin latitudo XXI graduum corrupta ſit, dubium non eſt. Nam Septentrionaliorem eſſe, vel ex Nuba conſtat: qui regiam Chitarum urbem extrema parte climatis quarti, ad magnum fluvium ghammas ponit. Adeoque quamvis Cambalu, quæ & Paquin, non nominet, tamen ejus ſitum ad fluvium Poliſangi ſatis clarè indicat. Eſt tamen & extra Sinenſem murum Kitha lacus & Provincia. In America quam plurimi Catainorum populi. Nam in Nova Mexico *Zaguati* & *Paſſaguati*: In Charcis Peruviæ *Diaguta*, *Chiguita*.

guitæ.

guitæ. In Guiana *Caſtapagotæ, Eparagoti, Aracoagoti.* In Cumana *Patigutæ, Gotoguanei, Manogoto, Comanagotta.* Floridæ *Ologata.* Quæ ex Kotanorum & Kitanorum nominibus expreſſa eſſe nemo negabit. Quemadmodum & in illa Aſia *Kaimachitæ, Chazalgitæ, Choſſciachitæ, Torchoſcitæ, Odhcoſcitæ* à Nubienſi ponuntur. Vt Kitainorum nomen multis receptum fuiſſe populis neceſſe ſit. Igitur illi Gotani & Kitaini ex continente in Iaponicas inſulas venerunt : intra quas una *Goto* eſt : cujus incolæ *Gotani.* Inde in oppoſitam Americam, ubi in tot, ut diximus, genera diviſi ſunt. Sed & alibi Kitainorum memoria extat. Illi qui Novam Angliam tenent, Mare *Kithan*, naves *Kithonnek* vocant. Quod nomen à lacu Kitha mihi ductum videtur. Prope Xaliſconem urbs *Chita.* Et regni caput *Quito* ſub ipſo æquatore, celeberrima olim & cultiſſima : eique vicinæ *Annequito.* In Nova Granada *Mare Quito.* In S. Cruz de la Sierra *Chiquito.* In Chuquiaba *Caracato.* ubi Karakitham Aſiæ expreſſam habes. Et in Mediterranea Braſilia populi *Maraquites.* Ita ut Kitainos in America quærere idem ſit ac in Italia Græcos, in Africa Phœnices. Paſſim enim occurrunt & populi, & urbes, Kitainorum nomine. Vt illam gentem frequenter olim in Americam navigaſſe manifeſtum ſit.

CAP. IX.

Sinenses in America. Cin. Tamaculapa. Tzintzontza. Mauchao. Campao. Sinensium maritima olim potentia. Navigatum ex America in Sinas. Mexicani in Nicaragua. Gigantes in Peruvia.

Restant Sinenses, de quibus ubi adhuc quædam dixerimus, finem populis qui Americam suis coloniis occuparunt, imponemus. De horum adventu testantur tot locorum nomina quæ *Cin* gentile Sinensium nomen habent. In Peruvia sunt *Coquimbo*, *Caquingo*, *Chuquinga*, *Cumbinama*. In Mexicana ad flumen Atoiac *Cumpao*. Apud Pastos *Cumba*. In Isthmo *Chini*. In Popajan *Quinba*: unde Paquin. Nam ejusmodi transpositio frequentissima; sicut in Peru *Carrapa* & *Pacarra*: *Managua* Nicaraguæ & *Maguana* Hispaniolæ: *Potenchian* & *Chianpoton* Iucatanæ ostendunt. Idem in *Chinchitala* & *Tulazingi* factum. *Xuntien* Sinarum & *Xandu* prope Tenduccum. In Popajan *Xundabe* & *Xamundi*. *Tamaculapa* Mexicanæ arx apud Martyrem. Vox Sinensis: quorum regio Tamis, *Cula* arx, *pa* Septentrio. *Zintzontza* Mechoacanorum urbs à Sinensi conditore, apud quos Tzintzon regium nomen. Mechoacanis vicinę *Mauchao* & *Campao* urbes, quemadmodum in Sinis Macao & Campa.

Atque hæc urbium & regionum convenientia

tia minime mira videbitur illi qui attente consideraverit quæ ſupra de Sinenſium in Americam navigatione tradita ſunt. Magna eorum olim terra marique potentia & Imperium in omnes Indiæ inſulas ac pleraque Scythiæ extenſum. Addit Boterus : *non exiguam quoque Americæ partem iis paruiſſe. Sed cum claſſem* Iↄccc *naviũ apud Zeilon amiſiſſent, inſulas illas & transmarinas provincias deſeruiſſe contentos ſuo id eſt Sinenſi orbe.* Apud Purchaſium traditur : *Sinenſes in India & Pegu ab* An. Chr. cIↄ XIII ad cIↄ LXXII. *regnaſſe, quas regiones Oxivagan Rex ſubegerit, ejus autem ſucceſſor deſeruerit.* Hinc patet Sinenſium in Americam navigationes ante multa ſecula contigiſſe & poſtea abruptas vel rarius ſuſceptas. Et cum mercaturæ ergo inſtitutæ fuerint reciprocas fuiſſe, ita ut ex America quoque in Sinas navigaretur & Indiam. Id Aricii & Icenſes innuebant cum dicerent : *Solitos olim ad inſulas verſus occaſum longiſſimè diſſitas, pellibus luporum marinorum inflatis navigare.* Vnde Latius colligit navigationem illam non fuiſſe longinquam. Mihi vero per inflatas pelles vela innuere videntur. Et cum inſulæ Salomonis in occidentem à Peruvia non ultra Iↄ ccc leucas diſtent, quid impedit quo minus in eas navigarint, id quod propter ſtatos ventos, non difficile, qui navigantes recta ad illas inſulas ducunt, & ea occaſione primum ab

Hiſpanis detectæ ſunt. Diſtinguunt Aricii navigationem illam veterem & obſoletam ab ea qua hodie utuntur. Nullæ ad occidentem Peruviæ inſulæ longiſſimè diſtantes quam Indicæ. Nam Inſula S. Mariæ & Quiriquari, juxta littus & in continentis conſpectu ſunt. Et hi fortaſſe navigatores ex Sina fuêre. Vbi ſemel in Americam venerunt Cataini & Sinenſes, non difficile fuit univerſam terra marique peragrare. Sic Nicaraguæ quarta gens ex Mexicanis fuit, qui eo per mare pacificum navibus vecti appulerunt cum magna in *Avanac* id eſt Mexico, ſiccitas ac annonæ caritas eſſet. Sic in Peruviam ad Mantam & portum veterem olim gigantes mari advecti venerunt, quos Tlaſcaltecanorum in Mexico gigantum ſobolem putarim ac coloniam.

CAP. X.

De Origine Incarum. Peruvia qualis ante quadringentos annos. Traditiones Peruanorum. Filius & filia Solis. Cuzco condita. Manco ab extera gente in Peruviam venit. Barbaries non niſi ab exteris corrigitur. Manconis origo ex Sinis.

HIc vero de origine Incarum & Mexicanorum paulo preſſius ex ipſorum traditionibus agendum eſt. Tradunt Peruani *ante quadringentos annos & quod excurrit, Peruviam immani barbarie oppreſſam jacuiſſe, nullo agrorum cultu,*

cultu, nulla civitatum communione, sine cura Deum, observantia legum, per montes sylvasque instar ferarum in antris dispersos egisse. Cibus radices & si quæ alia terra profert, Carnes quoque humanæ. Vestes ex arborum foliis vel pellibus contextas. Quicquid Mexicani Chichimecis idem hi majoribus suis adscribunt. *Igitur* inquiunt *Pater noster Sol homines misertus de cœlo misit filium & filiam suam qui Religionem & leges edocerent ac mitiorem cultum instituerent. Hi primo ad lacum Titicacam inde ad vastam & incultam planitiem venerunt, in qua ad tumulum Huanacaut agnito fatali condendæ urbis loco vicinos latè populos ex speluncis suis evocarunt, Solis jussa prætendentes. Sic urbs regia Incarum Cuzco, quod umbilicum significat, exstructa, & in duas partes, superiorem quæ Hanan Cuzco, inferiorem quæ Harincuzco divisa est. Nomen primo Incæ fuit Manco, uxori ejus Coya Mama Occlo Huaco. frater & soror, Solis & Lunæ liberi.* Hæc illi, nec altius originem suam repetunt. Quod originem Manconis à Sole deducunt, & eundem de cœlo missum dicunt, quis non videt eum peregrinum fuisse & in Peruviam quocunque tandem casu ex regione cultiore venisse? ac cum homines simplices videret, usum peregrinitate sua, ad persuadendam iis cœlestem originem, quo velut firmissimo fundamento totius regni moles & Incarum regnatrix domus inniteretur. Quem-

admodum Hispanos illis horridis barbis, vestitu & armis facile cœlestem originem ac divinos à barbaris honores consecutos legimus. Nam hoc quærendum est: Si Manco indigena fuit, unde cultus viro inter barbaros nato & educato, unde miranda sagacitas & ea judicii in condendo maximo Imperio acrimonia? Non enim Imperium Cuzconicum per gradus & rudimenta crevit, sed statim sub ipso Mancone eam perfectionem, quoad Leges, Religionem & constitutiones obtinuit, solo terrarum spatio auctum est. Dico neminem concipere posse quomodo ex crassissima illa barbarie tantus subito vir emergere potuerit, habitu & cultu peregrino, agriculturæ & variarum artium peritus, cui aures in amplum foramen diductæ, cujus Coya sive uxor lanificii & muliebrium operarum perita. At Peruani referunt ea omnia se à Mancone & Coya accepisse & illis visis, cum & habitu & corpore peregrino essent, multaque ac magnifica promitterent, statim è cœlo ortos & Solis liberos, credidisse. Itaque hoc initio tenendum; exterum Manconem fuisse à culta gente profectum. Quod vel hinc manifestum fit, quia eam barbaries naturam habet, ut nisi ab exteris corrigatur, semper in deterius vergat. Videmus hoc in Chichimecis Mexicanis & omni illa utriusque Americæ barbarie. Quis credat Bra-

silianos

ſilianos unquam ad cultum humaniorem, niſi per exteros, venturos? Ita Hiſpanos, Gallos, Germanos Romani, alias gentes Græci excoluerunt. Venit igitur Manco ab extera gente in Peruviam. Ergo vel ex alia Americæ parte vel à tranſmarinis oris. Circumſpicienti mihi totam Americam qualis ante quadringentos annos fuit, nulla gens occurrit unde oriri potuerit quam Navatlacæ & Iucatani. Vtraque tamen gens immanior fuit quam ut cum miti Incarum ingenio conveniat. Omitto aures diductas & alia. Quærenda igitur in tranſmarinis regionibus Incarum patria. Situs Peruviæ is eſt ut ad occidentem Aſiam, imprimis ampliſſimum Sinarum regnum reſpiciat. Atque hinc originem Incas trahere omnino arbitramur.

CAP. XI.

Manconem cum ſatis magno comitatu in Peruviam veniſſe. Ejus Socii dicti Incæ. Oreiones. Peru nihil conceſſit Sinæ. Cuzconis magnificentia. Latii opinio rejecta. Peruvia ante Incas à Scythis habitata. Peruanorum cum aliis Americanis convenientia.

DE quo antequam porro agamus, exponendum qui nam ſint Incæ. Peruani, ut audivimus [c], ſolius Manconis & Coyæ ejus, tanquam conditorum Imperii ſui, meminerunt. Quod verum ſi Regem & caput conſideres.

deres. Nec putandum Manconem & Coyam solos adventasse & illam barbariem exstirpasse. Imo quis dubitet à barbaris devoratos si soli, si inermes? Rectè Latius: *cum valido exercitu venisse oportet Sinenses ut tam numerosam gentem aut conderent aut subjugarent.* Igitur si non cum amplo, saltem cum satis valido comitatu adventarunt. Et hi sunt Incæ de quibus Garcilasso: *Incæ erant omnes primi subjecti Mango capa & qui ex stirpe ejus erant. Itaque Cuzconenses & vicini omnes erant Incæ, ac nulli præterea Peruani. Inca significat Dominum & in genere eos qui ex regio sanguine.* Ex quibus patet Incas ex eadem cum Mangone gente fuisse; unde eodem cum ipso cultu usi; aures singulis perforatæ, & in miram ac incredibilem latitudinem diductæ. Vnde Hispani eos *Oreiones* id est auritos nominarunt. Hos igitur à Sinensibus ortos vel Indis Orientalibus necesse est. Specta Leges, imperium, urbes, quid uspiam Tahuantinsuyo concedit Sinæ? Architectura Peruana plane Sinensis. Quid de vastissimis urbibus, Cuzcone, Cassiamalca, Quito, & aliis dicam? Solius Cuzconis descriptio qualis Anno cIↃ IↃ xxxiv. paulo ante excidium fuit, omnem Sinensium urbium admirationem tollit. Ita de ea Petrus Sanchius Pizarro à Secretis: *Cuzco habet arcem & domos amplius centum mille. Pleraque ex lapide sunt, plateæ augustæ, rectæ, & in*

crucis

crucis formam. Forum quadratum & silice stratum. Arx triplici muro, quorum intimus etiam altissimus. Incredibile dictu quantæ lapidum moles quam tenaciter & arctè coagmentatæ : ut non hominum illud sed Dæmoniorum opus videatur. Rupes impositæ rupibus omnes Herculis labores & prisci orbis miracula superant. Hæc Sanchius. Eadem & distinctius Inca Garcilasso, apud quem & Petrum Ciçeam videantur, magnificæ per universam Tahuantinsuyo Incarum structuræ. Itaque non possum illa Latii admittere : *Peruanos Sinensibus nec ingenio nec moribus comparandos; non eam industriam & artium mechanicarum studia; aliam politiæ rationem, aliam ædificiorum, aliam urbium formam; nihil quod Sinense artificium sapiat vel leviter æmuletur.* Concedo Scriptura destitutos fuisse & aliis quoque rebus quibus Sinenses abundant. Sed non minori artificio Quipis suis utebantur & rudibus etiam picturis. Nec una omnium Sinensium cultura fuit aut iidem mores vel instituta. Vt si non à Sinensibus, saltem à Catainis originem trahant Incæ, & cultum majorem intulerint Peruviæ jam à Tataris habitatæ, unde tot cum aliis Americanis communia ipsis fuerunt. Nam & Mexicanis & Tuniensibus Summus Deorum Sol erat. In regno Bogotæ sputum Regis ab uno procerum reverenter manu exceptum: Sicut & apud Peruanos. Vtrobique

capti-

captivis in bello primores evulſi dentes. Vtrobique cœnobia ejuſdem generis. Vnde apparet ejuſdem fere cum Peruanis illos Granadenſes & alios originis fuiſſe; ac omne diſcrimen ab Incis, qui Peruviæ peculiares, proveniſſe.

CAP. XII.

Mexicani cultiſſimi & recentiſſimi Americanorum. A Sinenſibus. Eorum fuga. Authorum circa illam diſſenſus in nominibus & tempore. Facfur in Americam fugit. Septem Navatlacum nationes non uno tempore in Americam venerunt. Chronologia Mexicana vacillat. Chichimecæ quando ad lacum venerint incertum. Quando nationes ad lacum venerint? Quando Mexicani? Hos cæteri pro peregrinis & advenis habuerunt. Picti eorum annales. Laterculum Chronologiæ Mexicanæ. Eorum Reges.

DE Mexicanorum origine ſingulare quid & dignum ulteriori conſideratione olim obſervabamus. Quia enim illa gens omnium quas America habuit cultiſſima pariter & recentiſſima eſt, cujus res nō trāſcendunt ccc an. ex Hiſtoriis indagandum fuit, facta ne eſſet migratio gentis Aſiaticæ circa illud tempus in Novum orbem? In quo eruendo dum occupamur, factam Sinenſium in remotas inſulas fugam; cum Tatari regnum eorū expugnarent, ex Veneto & Annalibus Mendozę deprehendimus. Sed eſt aliqua & in Regum nominibus & in annis diſcrepantia. Venetus Regem Tatarorum *Cublai:* Mangianorum, qui Sinenſes ſunt,

Facfu-

Facfurem nominat. Gonſalo Mendozæ ille quidem *Vzou*: hic *Tepin* dicitur. Cujus diſcrepantiæ ratio eſt quod externarum gentium nomina ſæpe varient pro linguarum differentia. Itaque Sinenſibus Vzou dictus & Tepin, qui Tataris Cublai & Facfur. Et Vzou Chan idem quod *Vsbek*; quomodo hodie Imperator Tatarorum, qui Zagathaiam, Samarcandam, Bocharam, Balck, Turqueſtanam & Maurenaharam tenet, vocatur. Et magnam linguæ inter Sinenſes & Vsbequios Tataros affinitatem eſſe Texeira obſervat. Annorum XVII diſcrepantia inter eoſdem eſt. Venetus enim An. Ch. cIↃ CC LXVIII; Mendoza An. Chr. cIↃ CC LXXXVII. factam mutationem vult. Cujus rationes poſſunt reddi variæ; ſi perpendamus in annorum ſupputatione loqui nonnullos de rerum initiis, alios de ulteriori progreſſu & ſupplemento. Vt anno LXVIII Tatari oppugnare Sinas cœperint, toto demum regno anno LXXXVII potiti. Quanquam non Mendoza tradit, A. cIↃ CC LXXXVII Sina potitos Tataros: ſed male ex ejus verbis id Scaliger colligat; de qua controverſia ex profeſſo in Chronologicis agemus. Quicquid ſit, numeris Veneti omnino ſtandum eſt, qui rerum pars magna fuit in eo bello. Et errare Gonſalus potuit mala Sinenſis æræ ad Chriſtianam applicatione. Igitur omnino exiſtimamus Mexicanos

xicanos ab illis qui cum Facfure fugerunt, Sinenſibus, ortos eſſe. Nam *Facfur cum mille navibus & maximo comitatu fugit ad inexpugnabiles quaſdam inſulas & in iis permanſit.* Quænam illæ inſulæ ſint, nunc inquirendum eſt. Iapan non fuit; neque Iava: quia hoc non tacuiſſet Venetus, cui utraque inſula notiſſima & poſterior mox à Tataris ex parte ſubacta. Philippinas quoque non fuiſſe patet: quia in illis gentes lingua moribuſque à Sinenſibus aliæ. Olim quidem illæ inſulæ Sinenſis Imperii pars; poſtmodum ob neſcio quas cauſas deſertę ab ipſis, rudem barbariem induerunt, quæ uſque ad Hiſpanorum adventum duravit. Ergo reſtat Sinenſes illos in ulteriores Iapane, Philippinis & Iava inſulas fugiſſe, & ob diſtantiam Tataris inexpugnabiles: qualis America. Subducta ratione colligitur mille navibus centum fere Sinenſium millia aufugiſſe. Tanta hominum copia ubi potius quam in America & interjacentibus inſulis conſederint, dici non poteſt. Ac ne quis equos objiciat, teſtatur Venetus nullos tum in Sina fuiſſe. Quæ ut clarius percipiantur; ſciendum eſt; Mexicanos tradere: *ſe olim in ſeptem nationes diſtinctos loca circa Culvacanam, Atzlanam & Novam Mexicam tenuiſſe; poſtmodum diverſis vicibus Novam Hiſpaniam adhuc incultam occupaſſe.* Sed hoc ex ipſorum Annalibus non conſtat; fuerint ne omnes ſeptem natio-

tiones unius originis? Simul mare transiverint? Quæ cum incerta sint, videmus nihil admodum obstare, quominus distinctis vicibus illæ Navatlacum gentes ex Asia in Americam; hinc in Novam Hispaniam transire potuerint, donec ad septenarium numerum circa lacum excrescerent. Itaque ponamus sane omnes Navatlacum gentes à Sinensibus ortas (quod neutiquam verum esse potest propter rationes supra pro Turcis & Tataris allatas) illud verum manet, quia Chichimecis permixti fuerunt, multum eos à prima origine, quantum ad Linguam & mores, barbarorum consortio desciviſſe. Itaque venerint licet sex priores nationes ad lacum quandocunque velint; inde nihil inferri potest contra septimæ nationis ex Sina circa A. Chr. cIɔ cc LXX vel circiter adventum. De quo antequam agamus, illud præmittendum est, Chronologiam Mexicanorum apud Acostam & Herreram ab A. C. Iɔcc usq; ad cIɔ cc incertam & dubiam esse. Idq; etiam Latius vidit, cujus verba sunt: *Ratio temporum apud authores rerum Mexicanarum vacillat: neque satis constat quo anno Mexicani ad lacum aut in provincias venerint, quas tenebant cum Hispani illos oppresserunt.* Primo igitur Chichimecas ad lacum venisse An. Ch. Iɔ cc II libenter scirem quo argumento collegissent. Nam nec ipsi hoc potuerunt scire, qui demum seculo post,

A. C. IↃ ccc xx advenerunt, nec ab ipsis Chichimecis intelligere; quæ tam rudis & barbara gens fuit, ut nulla temporis, annorum, rerum distinctione habita, in diem vixerit. Nec simul migrarunt, sed dispersi per montes, avia, & solitudines, sine mutuo consortio. Ex quo consequitur, distinctissimis temporibus, nunc hos nunc illos, ut casus & venationis studium invitabat, paulatim ad lacum venisse, nec ipsorum adventus certum designari annum sine maxima absurditate posse. Navatlacas A. C. IↃ cccc i i intrasse Mexicanam, egressos ex Culvacan A. IↃ cccxx, in via ipsos LXXX annos hæsisse, dicunt. Quæ non consistunt cum Acostæ traditionibus. Diverso tempore septem nationes ad lacum venisse scribit, primo Suchimilcas, dein Chalcas, tum ordine Tepeacas, Culhuas, Tlatleucas & Tlascaltecas. Quomodo igitur An. IↃ cccc ad lacum venerunt? aut credemus aliquot dies tantum aut menses intercessisse? Vel ipsum de initio adventus aut unius vel alterius gentis loqui? Quid quod septem nationes simul egressas Atzlane dicit A. IↃ cccxx? Ergo etiam Mexicani. Quis ergo horum verborum sensus? ccc ii *anno post septima natio, Mexicani Navatlacum gentes non nisi* LXXX *annos in hoc itinere consumsisse*. Hæc quidem conciliari non possunt. Nam primo gravis quæstio oritur, illi c c c i i anni

quam

quam æram habeant? Nam ſitne eorum initium ab adventu ad lacum an exitu cæterarum nationum ex Culvacan ducendum, authores non conſentiunt. Vterque, Herrera & Acoſta, ſatis ambiguè: *Poſt* CCCII *annos quam è patria ſua exierant & novam Hiſpaniam incoluerant dictæ ſex nationes, venerunt Mexicani.* Vbi reſpiciant exitum an ſedes ad lacũ, nemo facile dixerit. Quanquam Latius de exitu accipiat, quia nimirum non conſtet quando ſingulæ nationes ad lacũ venerint. Verba ejus ſunt: *Significat Acoſta Mexicanos poſtremos è ſedibus ſuis moviſſe, non quidem* CCCII *annis poſt ſextam nationem, ſed poſtquam ſex illæ nationes quæ erant ejuſdem cultus, ſe ſedibus primis movere cœperant & ad lacum acceſſerant. Itaque initium illorum* CCCII *annorum capiendum eſt ab A.C.*CIↃ CXVIII. *ſi Herrera bene rationes ſubduxit.* Vbi vitioſe CIↃ C XVIII. pro CIↃ C XXII. quia CCCII. adduntur IↃ CCCXX. Secundum hanc explicationem ſtatuendum eſſet, ſex nationes ſimul antiquis ſe moviſſe ſedibus ſed diverſis viis, unde alii citius alii tardius ad lacum venerint. Si igitur A. CIↃ C XXII Atzlane egreſſi Mexicani, in via & ad lacum CXCIV annos, antequam urbem ſuam conderent, tranſegiſſe neceſſe foret. Condita enim Mexico A. CIↃ CCC LXXXI. cum in univerſum non niſi CXL annos uſque ad CIↃ IↃ XXI, quo ab Hiſpanis capta, ſteterit. Ad lacum non niſi

paucos annos antequam urbem conderent, egerunt: quia ſub eodem Rege Culhuacanæ & ad lacum venerunt & urbem fundarunt. Porro [is jam ante] An. cIↄ ccc xc iv. obierat, ac provecta ætate ſub adventum Mexicanorum fuiſſe ex filia nubili colligitur. Sunt igitur incertiſſima quæ de temporibus Navatlacum inde ab A. Ch. Iↄ cc ad cIↄ cc traduntur. Certe quia Mexicanorum tam recens ad lacum adventus & ccc annis poſterior, non videntur hæ nationes ſimul in Culhuacan habitaſſe & notitiam mutuam habuiſſe. Vnde ſex nationes Mexicanos tanquam peregrinos & advenas, magno odio proſecuti ſunt. Picti Annales à Purchaſio editi, præterquam quod omnes Acoſtæ narrationes de longa ſub tribus primis Regibus Mexicanorum ſervitute confutant, etiam nullam migrationis ex Septentrione mentionem faciunt ſed interpres errorum meminit antequam ad lacum venirent, quod circa An. Ch. cIↄ ccc xx iv. factum vult. Teſtatur alibi Acoſta: *Omnia Americanorum monumenta & relationes non ſuperare* cccc *annos: ſuperiora meras eſſe tenebras è quibus certi nihil eruere poßis.* Sed ut diſcrepantia temporum manifeſtior fiat laterculum Chronologiæ Mexicanæ proponemus.

Iↄ cc. Annales Vtlatanenſium (qui fuere populus Guahutimallæ) incipiunt, & uſque

uſque ad Hiſpanorum tempora per Iↄ ccc continuantur.

Iↄ ccxxi. Chichimecæ in Novam Hiſpaniam veniunt.

Iↄ cccxx. Exitus Navatlacum ex Culuacan.

Iↄ ccccii. Ad lacum veniunt.

cIↄ cxxii. Exitus Mexicanorum.

Reges Mexicanorum.

Ex Purehaſo		Ex Acoſta	
cIↄ ccc xxiv. Tenuch.	ii.	Mexi Dux	
lxxv Acamapichtli	xxi.	cIↄ ccc lxxii. Acamapixtli	xl
xcvi Huiçilihuitl	xxi.	cIↄ cccc xxii. Vitzilovitli	xiii
cIↄ cccc xxii. Chimalpupuca	x.	xxxv. Chimalpopoca	iii
xxvii. Yzcoalçi	xiii.	xxxviii. Iscoalt	xii
xl Gueguemoteçuma	xxix.	l. Motezuma	xxvii
lxx Axayacaci	xii.	lxxviii. Tiçocic	iv
lxxxii. Tiçoçicatzi	iv.	lxxxi. Axayaca	xi
lxxxvi. Ahuizozin	xvi.	xcii. Autzol.	xi
cIↄ Iↄ ii. Motezuma	xix.	cIↄ Iↄ ii. Motezuma.	xix

cIↄ Iↄ xxi. Mexico ab Hiſpanis capta. Finis regni Mexicani.

CAP. XIII.

Septem Navatlacum gentes diversæ originis. Ob Linguarum diversitatem. Mexicanorum peculiaris lingua. Tenoxtitlan quando structa. Eorum antiquitates non superant A.Ch. cIↃ cc Lxx. A Facsure ex Sinis in Americam transvecti. Quod ex Motezumæ relatione probatur. Tepin. Tolpicin. Ex California venerunt in Atzlan. Religionem & mores mutarunt. Nova Mexico. Nomina Iaponensium in Suma. Con. Teu.

HIs ita præmissis, videndum quid certi de hac re statui possit. Initio septem Navatlacum, quæ vocantur, gentes non ūnius omnes originis fuisse, ex diversitate linguarum patet, quales in Nova Hispania quam plurimæ. Sic enim Latius: *Novæ Hispaniæ incolæ, infinita pene Idiomatum varietate discrepant, quæ non tantùm Dialectis variant, sed plane diversæ sunt linguæ. Nam & Otomies & Mechuacani & plurimi alii, suas proprias linguas habuerunt. Quot fere provinciæ, tot & peculiares linguæ.* Hieronymus Aghilar intellexit Zempoalensium & Chiurutecallorum linguam qui Tlaxcalæ vicini; Mexicanam non intellexit. Vnde postmodum Mexicani suam linguam apud devictas alias nationes cum Imperio introduxerunt. Quod si eadem Lingua, vel cognata, omnibus fuisset, id ob vicinas sedes & commercia contigisse potius, quam quod unius omnes originis, crediderim. Deinde Tenoxtitlan

lan ſive urbs Mexico annos CXL ſtetit: ſtructa eſt A. Ch. CIↃ CCC LXXXI. Aliquot annis ante Mexicani in Tiſaapan morati & circa lacum, in certis ſedibus, vagati ſunt. Ex Culhuacan uſque ad lacum, lento multorum annorum itinere, progreſſos conſtat. Sed nec annus quo ad lacum venerint, nec quot in via conſumſerint, exacte oſtendi poteſt. Quæ indicio ſunt Mexicanas in America antiquitates non pertingere uſque ad A. Ch. CIↃ CC. adeoque eos ex Sinis cum Facfure, quantum ad tempus attinet, venire circa A. Chr. CIↃ CC LXX potuiſſe. Nam probabile neutiquam eſt, gentem literis bonis inſtructam, ſi ante hoc tempus in America fuiſſent, nihil plane rerum ſuarum ad poſteros tranſmiſſuram fuiſſe. His ita præmiſſis; recentiorem Mexicanorum originem eſſe quam vulgo traditur, haud omnino vanis argumentis nos deprehendiſſe exiſtimamus: nimirum ex Sinis circa A. C. CIↃ CC LX à Tataris pulſos, navibus in Americam cum Facfure veniſſe; ibique indigenis permixtos procedendo verſus auſtrum ad lacum inter ſex Navatlacum nationes conſediſſe. Id ex traditionibus ipſorũ manifeſte colligitur. Nam de ſuæ gentis prima origine & in Americã adventu, ita Moteſumam locutum invenimus: *Advenas ſe eſſe, & magni Principis claſſe poſt omnium viventium memoriam huc advectos, indigenis con-*

nubio & sedibus mixtos consedisse. Quis ille magnus Princeps, quæ classis alia quam Facsuris, nondum apparet. Nam in nomine satis conveniunt Sinenses atque Mexicani. Illi *Tepin*, hi *Tolpicin* vocant. Nec opinio illa quam Purchasius ad navigationem Madoci Ap Guyneth refert, alicujus momenti est : *Reges Mexicanos à Cambris illis ortos; & eo respexisse Motenzumam quando dixit, se à Principe quodam, qui ex Oriente venerit, genus ducere.* Pergit Motesuma. *Princeps ille comitibus relictis discessit in patriam. Regressus demum voluisset adductos remeare. Domos jam sibi construxerant, Provincialibusq; fœminis sociati filios procreaverant ac fixa domicilia habebant pacatißima. Renuerunt de reditu majores nostri, neque illius dicto ulterius auscultaverunt. Elegerant nam sibi de seipsis & Senatum & populi Principes, quorum consilio regerentur ; feruntque Principem illum abiisse minitabundum. Nusquam apparuit quisquam ad hæc usque tempora jus illius ductoris repetens.* Ex quibus patet illum Principem nova classe in Americam reversum, qua suos reducere volebat. Causam cur illi renuerint, fuisse permixtionem cum indigenis, fixas pacatasque sedes, & constitutam Rempublicam. Primo exscensionem in California fecisse videntur : inde in continentem scaphis trajecerunt. Hoc alia ipsorum traditio vult, qua *majores suos trajecto truncis arborum maris brachio in*

Atzla-

Atzlanem venisse dicunt. Fretum illud inter Californiam & Novam Mexico, quod Hispanis *Mare Vermeio*, innuunt. Trunci arborum Canoæ sunt sive monoxyla. Hic trajectus à primo adventu distinguendus est ne scaphæ cum classe confundantur. Et quanquam sex Navatlacum gentes ex illis regionibus jam dudum in austrum emigrassent, multos tamen passim vel sponte manentes vel impeditos reliquerunt qui interea in novas nationes excreverunt, quibus permixti hi Sinenses Facfuris, linguam, mores & religionem eandem susceperunt. Quod Motezuma his ad Cortesium verbis testatur: *Religionem majores nostri derelicti, ab incolis eorum temporum servare cœperunt: Socerum & uxorum secuti sumus consuetudinem.* Hi fuerunt illi Novæ sive potius veteris Mexico incolæ quos Hispani A. Ch. clↃ IↃ xxx. detexerunt *illa ipsa adhuc utentes lingua qua illi qui ad lacum consederant.* quæ verba Acostæ libro tertio capite XXIII. sunt propterea observanda, quod cum Grotius scripsisset: *Versus Californiam est populus linguæ ejusdem & institutorum cum Mexicanis*, Latius addit: *apud nullum authorem Hispanum inveni hic populum ullum esse ejusdem linguæ cum Mexicanis. Vnica ratio propter quam Hispani crediderunt Mexicanos ex illa quam vocant novam Mexicam in Novam Hispaniam venisse, fuit quia ibidem invenerunt ædificia grandia*

 qualia

qualia non alibi reperiuntur. Omnes etiam circumstantiæ ostendunt, Mexicanos non ab Oriente & per Islandiam, Gronlandiam, Novam Franciam, ut Hugo vult : sed ab Occidente & Coro per Californiam & Novam Mexico profectos. Sane si hæc Motezumæ ultimi & potentissimi Mexicanorum Regis vera de majorum suorum origine & in Americam primo adventu narratio est, aliam Navatlacum aliam Mexicanorum originem esse, vel si ab una gente, diversis Ducibus ac temporibus, adventasse, manifestum evadit. Nec video cui potior fides quam ipsi Regi habenda sit in historia majorum suorum. Nomina propria, cum Sinensium fere eadam quæ Tatarorum lingua sit, supra adduximus. Multa Iaponensium nomina in *Suma* terminant. Apud Mexicanos Motezuma, Kolezuma. *Con* Herois apud Peruanos & Sinenses nomen. *Tutruan* Mexicanis Princeps, Sinensibus *Tutan.* Deum hi *Tèu*, illi *Teutl* vocant.

CAP. XIV.

Morum convenientia inter Sinenſes, Peruanos & Mexicanos. Vrbes. Diverſoria. Mexicanorum ſplendida ædificia. Picturæ plumatiles. Ars aurifabrilis. Sepultura. Regum majeſtas. Grotii error. Scriptura. Libri. Cur non eadem plane Mexicanorum quæ Sinenſium ſcribendi ratio? Cauſa difficultas. Mexicani ferè picturis uſi. Eorum annales picti. A Purchaſio editi. Diſcrepant ab Acoſtæ relationibus. Habuerunt etiam ſigla. Libri Iucatanenſium. Literæ Coluacanorum. Cur non retinuerint literas Sinenſes? Philoſophia eorum. Comœdiæ. Tabulæ Geographicæ. Temporum ratio diverſa. Barba Motenzumæ Sinenſis. Typographia & ars bombardaria recens inventum apud Sinenſes.

REſtat de moribus & Religione Catainorum, Sinenſium & Americanorum, quæ communia habuerint, addamus. Ac primo quidem ille cultus & ſplendor, certa Imperiorum ratio, moles & ſtructuræ ſtupendæ, in Peruvia & Mexico, non aliunde quam è Sinenſibus & Catainis fluxerunt. Vrbes in Cataia & Sina in quatuor diſtributæ regiones: à ſingulis viæ regiæ diverſoriis, caſtris, palatiis, non ad neceſſitatem verùm luxum exornatæ in vicinas ducebant provincias. Eadem Peruviæ & Mexicanæ ratio. Itaque hoc argumentum Grotii non de nihilo eſt: *Diverſoria publico ſumtu viis appoſita quibus iter facientes exciperentur apud Sinenſes notat Mendez Pindo, apud Peruanos Garcilas.* Nec exceptio Latii valet, *per totam*

totam pene Aſiam ejuſmodi diverſoria reperiri. Nam ille mos à Turcis & Tataris demum introductus, qui Sinenſium & Catainorum magnificentiam ea ratione æmulati ſunt. Nec tamen Turcici & Perſici *Chani* cum his Sinenſium & Peruanorum palatiis comparandi, ſed cum Hiſpanorum *Ventis* potius. Tradunt Mexicanorum architecturam longe perfectiorem Peruana fuiſſe. Peruani enim cemento carebant. Turres apud eos rariores & minus editæ. At Mexicanorum ex marmore ædificia, more Sinenſi, turribus altiſſimis. De Sinenſibus Trigautius & Riccius : *Civitates eorum omnes una forma & modo ſtructæ; ut, qui unam vidit, omnes viderit. Muri magni & firmi: plateæ rectæ & æquales lapide ſtratæ. Stuctura tamen non admodum elegans nec templa ſumtuoſa. Intus ædes picturatæ & ornatæ.* Vt mirer Latium adeo extenuaſſe præ Sinenſibus Mexicanorum & Peruanorum tum ingenia tum artes & architecturam. At vero Mexicani ſi non ſuperiores, ſaltem pares Sinenſibus fuerunt. Teſtatur apud Martyrem Corteſius : *nullibi terrarum majora, meliora & accuratiori arte ſtructa ſe vidiſſe ædificia. Nullum in Hiſpania Regis vel Principis atrium eſſe quod non æquet è ſeptuaginta ædibus Mexicanis humilior.* Iam vero Corteſius ſuperbas Granadæ, Seviliæ, Cordubæ, Toleti, Cæſarauguſtæ Regum Maurorum & Hiſpanorum aulas viderat.

derat. *Vrbes ipſorum ingentes & omnibus Europæis ſplendidiores. Tezcuco* xxx *ædium millia habuit: Tlaſcala Granadâ major fuit & frequentior.* De ingenio ipſorum idem: *Eſſe admirandos artifices. Animalis vel ſemel conſpecti imaginem ad vivum repræſentare.* Philippus II. & Sixtus V. viſa plumatili pictura, *nunquam ſe rem majori confectam artificio vidiſſe*, profeſſi ſunt. Iam in aurifabrili arte quid ſubtilius Peruanis? quid in ſtatuaria? Hæc ſane qui non agnoſcit à cultiſſimis profecta gentibus, ipſe barbarus ſit neceſſe eſt. Sepultura apud Mexicanos duplex: vel enim comburebant vel condebant humi. Quos condebant, quindecim dies cum inſtructa epulis menſa, domi ſervati. Interea amici dona ferebant defuncto, & Sacerdotes thura adolebant. Eadem fere Sinenſium conſuetudo. Nam & ipſi quindecim dies cadaver domi, inter Sacerdotum officia, aſſervant. Linſcotius eos quoque, *homines defunctis cædere*, tradit; quod tamen non omnibus receptum, vel hodie abrogatum: ejus loco picti in charta homines, jumenta, opes, ſimul comburuntur. Apud Iaponios cremandi mos. Primus ante quinquaginta annos Taicoſama condi voluit, quemadmodum L. Sulla cremari, cum alias Cornelii patritii conderentur. Inter ſalutandum proceres utrique in genua procumbunt &, oculis in terram defixis, tremula

mula voce loquuntur, ac eo habitu retrocedunt. Tergum obvertere nefas. Regni negotia per sigillum regium dispensare Sinensium & Mexicanorum. Titulus Regius his: *Rex Regum, Dominus terrarum ac cœlorum.* Illis: *Rex & Dominus mundi, filius cœli.* Vtrique Regi duodecimSenatores sive Palatini. Et quemadmodum apud Mexicanos ille numerus variabat, ita ut nunc duodecim, aliquando decem essent: ita in Sinis Paquini apud Regem duodecim, alibi in provinciis & apud Proreges decem. Quod vero Grotius infert, ex Scandia ortos Mexicanos, *quia Gotti & Saxones olim duodecemvirale tribunal habuerunt*, id leviculum est. Nam apud Mexicanos & Sinenses solum regium consilium eo numero constabat; cum Norvvagi vulgo ex plebe eo uterentur. Sinensium Regum insignia Dracones sunt vel,ut alii, serpentes. Iisdem Incæ utebantur una cum iride. Scribendi idem fere modus apud Mexicanos & Sinenses. Literæ rerum notæ vel picturæ. Charta ex arborum philiris. Libri compacti. In Cozumel, Iucatan, Mexico, Nicaragua, Guahutemalla innumeri libri reperti ab Hispanis, de agricultura, plantis,majorum rebus agentes. De quo Martyr, Gomara, Acosta, Herrera. Fateor non unam scribendi penitus apud Mexicanos & Sinenses rationem, nec tamen penitus di-
versa

versa fuit. Præterea Iaponenses & Cataini multum quoque ab illis variabant. Rubruquis: *Cataini scribunt penicillo pictorio & una figura multas literas complectitur ac verbum facit. Populus Tebet scribit ut nos & habet characteres similes nostris. Tangutani scribunt à dextrā versus sinistram sicut Arabes & multiplicant lineas ascendendo. Iugures scribunt deorsum.* Existimo autem Sinensium scribendi morem apud Mexicanos & Iaponenses paulatim exolevisse propter summam difficultatem. Habent enim notarum cxx millia, ex quibus mediocriter doctum ad LXXX millia nosse oportet. Quid mirum notis illis abolitis alias & faciliores figuras surrogatas? Mexicani quæ picturis exprimi poterant, nolebant longo & difficili labore siglis notare. Ac ut rem exēplis declaremus, migrationem Navatlacum describentes, septem specus cum totidem hominibus inde emergentibus pingebant. Regnum Tiçocic nasus perforatus, quod talem haberet, signabat. Hispanorum adventum viri barbati rubris induti vestibus signant. Ita annales suos ex perpetuis fere picturis conficiebant, quarum volumen se habuisse P. Iovius testatur. Extant etiam in Bibliotheca Vaticana. Purchasius integrum Chronicon Mexicanum cum explicatione suis Itinerariis inseruit. Id à Prorege Novæ Hispaniæ ad Carolum V. missum & à Gallis pira-

tis

tis interceptum ad Thevetum pervenerat: post cujus obitum Hackluytus Anglus eo potitus, Purchasio editori reliquit. Dignissimum quod antiquitatis studiosi inspiciant opus, & ex quo plurimi Acostæ errores deteguntur. Nam mirum quam ab Acostæ narrationibus discrepat. Picti Annales dicunt Mexicanos ad lacum venisse & urbem suam struxisse circa A.Ch. cIↃ cccxxiv. Primus Rex *Tenuch* sub quo Culhuacan & Tenayncan subactæ. *Acamapichtli* quatuor urbibus potitus Quaunahuac, Mizquic, Caitlahuac, Xochimilco. Ab hujus regni anno octavo crevisse potentiam Mexicanorum, & vicinis jugum impositum volunt. *Huicilihuitl* domuit Toltitlan, Quautztitlan, Chalco, Tulancinco, Xaltocan, Otumpa, Tezcuco. *Chimalpupuca* Tequixquiac & Chalco quæ tamen denuo rebellavit. At apud Acostam Mexico tristi servitute usque ad Iscoalt oppressa jacet. Nulla urbs trium priorum Regum tempore capitur, sed ipsi vicinis tributa pendunt. *Iscoalt* demum servitutem capta Azcapulco exuit. In annis etiam, ut ante ostensum, perpetua discrepantia. In Tiçocic & Axayaca transpositio est. Nam picti annales Axaiacam Tiçocic præponunt. Contra Acosta facit. Sed ut ad scripturam Mexicanam revertamur, Sinensium sigla apud Mexicanos & Iucatanos intercidisse id ostendit: quia reperti

perti in Iucatana libri ex foliis arborum, in quibus doctiores Indi per Symbola descripserant omnis generis res, temporum distributionem, stellas, animalia, Naturalem & Civilem Historiam. Quos libros magna sui parte notis & siglis scriptos fuisse, inde patet: quia sacerdotes Hispani, teste Acosta, *Magicas figuras esse, & illicitas artes complecti*, imperite judicarunt. Vnde irreparabili damno combusti fuerunt. Et Martyr dicit *Coluacanorum literas Ægyptiacis similes fuisse, & taxillis, hamis, laqueis, limis, stellis ac ejusmodi formis constitisse quibus insertæ hominum animaliumque formæ.* Sicut & Sinensium notas Ægyptiacis similes esse Maffejus scribit. Observandum quoque: Mexicanorum scribendi rationem mixtam ex Sinensi & Americanorum picturis fuisse. Nam in Nova Mexico, Culvacan, Panuco, Haiti, Peru & aliis Provinciis quam plurimis, ubi neque libri neque scriptura, picturæ tamen rerum indices inventæ fuerunt. Cumque Mexicani ita permixti indigenis fuerint, ut omnia fere eorum reciperent, vix dubium est picturas quoque recepisse, & iis, ubi deerant suos addidisse characteres. Neque in eo quicquam situm est, eadem sigla Mexicanorum, quæ Sinensium, fuerint? Nam cum Sinensium notæ plerumque laboriosæ sint & ineptæ rebus signandis, parum interfuit Mexicanis illas

vel retinere, vel, ubi exciderant memoria, surrogare alias. Igitur hoc à Sinensibus acceptum retinuerunt, scribi res siglis posse & in libros referri. Cætera mutare promtum fuit & faciliora reddere. Et hoc à scribendi ratione petitum originis Sinensis argumentum tolerabile Latio videtur. Verba ejus sunt: *Si Grotius id dixisset de Mexicanis, potuisset tolerari, licet eorum pictura & characteres multum differant à Sinensibus, neque à summo chartæ ad imum descendant.*

In liberalibus disciplinis nihil Mexicanis ingeniosiores Sinenses. Apud utrosque Astronomia, Physica, Architectonica, Historia, floruit. Quod si Mexicani non adeo in illis excelluerunt, cogitandum est ne Sinenses quidem magnos profectus fecisse. Comœdiis, pyroboliis, ludis circensibus utraque genus supra modum dedita. Neque hoc minoris momenti est, quod sicut Sinenses tabulas Geographicas regnorum suorum conficiunt, quarum una apud Purchasium extat: ita Mexicani quoque provincias suas depingebant, apud quos *ingentes tabulas, quibus omnes Imperii inscriptæ Provinciæ & qui hostes vel vicini, una cum littorum positura*, videre erat, teste Martyre. Quod temporum rationem spectat; fateor discrimen inter Sinenses, Mexicanos & Peruanos esse: Sinenses annum in duodecim men-
ses

ſes Lunares dividunt, ita ut ſingulis trienniis unus menſis intercaletur. In quo ipſos Peruani imitantur, niſi quod reſiduos undecim dies ſingulis annis addunt. At Mexicani non obſervato Lunæ motu, in XVIII. viginti dierum menſes annum diſtinxerunt, eodem cum Sinenſibus anni initio, quod in Martium incidit, retento. Cætera jam levia, à corporum habitu & privatis moribus. Olim homiedones in Sina fuiſſe M. Paulus Venetus ſcribit. Fritilli Sinenſibus pariter & Mexicanis recepti. De barba argumentum haud ſpernendum Gomara ſuppeditat. *Motezumæ* inquit, *rara barba nigra, vix ſex pilos habens.* Idem Sinenſium & Tatarorum moribus convenit. Nec obſtat Typographia & ars tormentaria, in Sinis jam olim & ut volunt ante multa ſecula receptæ. Sunt enim quæ de harum artium antiquitate traduntur vel fabuloſa vel incerta. Venetus nullam earum mentionem facit, cum tamen *Tataros & Sinenſes balliſtas ligneas in obſidione urbis Sianfu, quibus ſaxa in hoſtes torquebantur, admiratos referat.* Trigautius non niſi à quinque retro ſeculis certam Typographiæ memoriam extare dicit. Tormenta potius à Perſis accepiſſe vel Europæis quam olim habuiſſe videntur. Pulverem pyrium vel ejus inſtar habuiſſe Sinenſes & Mexicanos neceſſe eſt, cum artificialibus ignibus & pyroboliis

adeo dediti fuerint. Politia Sinensium recens, ab Homva demum instituta.

CAP. XV.

De Religione. Ritus Christiani Americanorum ex Sinis. Ibi olim fides Christiana. A Syris instaurata. Saxum à Iesuitis repertum. Nestoriani in Cataja. Iaponenses multa ex Christianismo habent. Amidæ passiones. Cruces. Idola. Americani multa ex Iudaismo, Christianismo & Muhammedanismo habuerunt. Papa Mexicanorum. Baptismus. Cruces. Resurrectio. Monachi. Idola Iaponensium & Peruanorum.

RELigionem quod spectat, est ejus nõ parva convenientia apud Mexicanos & Sinensium gentes. Ritus Christiani quamplurimi, quos Acosta collegit; unde potius quam ex Cataja, Sinis, Iapone in Americam delati sint? Nam Trinitatis, Baptismi, S. Cœnæ, Pœnitentiæ, Circumcisionis, Mitrarum Episcopalium, Crucis, expressa vestigia, utrobique supersunt. De quo diligenter inquirentibus hæc fere occurrebant: Christianam Religionem antiquissimis temporibus in Cataja, Sinis, Iapone receptam, postmodum ita collapsam esse, ut tota fere in gentiles superstitiones mutata cernatur. Communis opinio est ipsum S. Thomam illis gentibus Euangelium prædicasse. Quod suo loco relinquimus. Brasilianis certe nomen ejus incognitum non esse, supra dictum. Posteriori ævo & quidem A. Ch. DCXXXVI.

Ch.dcxxxvi. Christianos ex Syria, Æthiopia, Ægypto, Iudæa in Sinam venisse ac Euangelium propagasse Athanasius Kircherus Cap. iii. & iv. Prodromi Copti prolixè ostendit, argumento à lapide reperto circa urbem Sanxuen A. 1625. quo totum hoc negotium notis Sinensibus & nomina literis Syriacis exposita sint. Verum inspicienti illam narrationem fraus Iesuitica non obscura erit. Nam saxum esse suppositititium, & à Iesuitis ad decipiendos Sinenses ac thesauris exuendos confictum; patet. Quicquid sit, constat Nestorianos in Cataja & Sinis ante multa secula invaluisse, ac Imperatores earum gentium ad fidem Christianam convertisse, qui Presbyteri Iohannes usitato Europæis nomine, dicti propterea fuere. A quo tempore Christiani ritus Sinensibus & Catainis innotuere & in profanas superstitiones paulatim, ut fieri solet, mutati sunt. Vnde Sinensium & Iaponensium sectas plurimos ritus Christianos hodieque tenere Trigautius asserit.

Nam cruces, baptismus, pœnitentia cum jejunio, adhuc apud eos durant. Amidæ passiones pro redimendo genere humano ex Christi Historia expressæ sunt. Vt & Crucifigendi ritus apud Iaponios. Quanquam ipsorum cruces paulum diversæ à Romanorum crucibus. Quippe ex oblongo stipite tria pro-

minent transversa ligna : duo pro manibus & pedibus : tertium brevius, cui reus velut equo insidet. In eo convenientia quod pendentes in cruce lancea vel una vel duplici decussatim configunt. Repertum apud eosdem Idolum, fæmina puerum ulnis gestans. Et in Sinensium navigiis, Idolum fæmina ex ligno sellæ insidens. Quæ Mariam referunt. Habent etiam imagines XII. Apostolorum. Tot Christianæ Religionis indicia cum nullibi reperiantur quam in Sinis, Kataia, Iapone, quis dubitet hinc Americanos, ubi eadem sunt, accepisse? Innumeros ritus Americanorum fuisse qui vel Iudaismum vel Christianismum vel Mahomedanismum respiciant, Acosta refert. Quæ tres sectæ jam antiquissimis temporibus in Sina & Kataia fuerunt, docente Trigautio. Ex Iudaismo petitum est festum Remissionis Peccatorum, circumcisionis ritus, unguentum sacrum, omnia Mexicanis recepta. Et circumcisionem quod attinet, falso quidem Martyr eam Iucatanis & vicinis gentibus adscripsit: quod Acosta & Herrera, ille disertis verbis, hic silentio suo, comprobant. Similitudinem tamen ejus apud Mexicanos repertam alibi Acosta agnoscit. Ritus Christiani plurimi & evidentissimi: Trinitatis, Sacramentorum Baptismi & Cœnæ Domini, Confessionis, expressa memoria. Apud Iucatanos XXXV.

dierum

dierum jejunium. Summum Sacerdotem ſuũ Mexicani *Papam* vocant. Quæ vox ex Chaldaico אבא, qua lingua Neſtoriani in Oriente ſacra ſua adminiſtrant, expreſſa eſt; & in totum Chriſtianũ orbem ab hac Origine fluxit. Niſi quis à Scythico *Pape* malit derivare: qua voce Iovem appellabant Herodoto teſte. Cultus & ornatus Sacerdotum Peruviæ, ut apud Chriſtianos Epiſcoporum. Nec quicquam illuſtrius quam Iucatanenſium Baptiſma. De quo Herrera *datum ei nomen regenerationis: adminiſtratum infantibus anno ætatis tertio. Parentes ad id ſe ſe paraſſe jejunio & ſecubatione; acceſſiſſe confitendi morem & unctionem in fronte.* Cruces in Gozumel & Iucatan repertæ: & cognitus ipſis vir ſole lucidior, qui in cruce paſſus. Quo eos Iaponenſium Amidam reſpicere exiſtimo. Incæ Cuzconenſes crucem magnam marmoream habuerunt. Non noverant quamdiu eam habuiſſent aut quid ſignificaret, nec adorabant ſed *reverenter colebant tanquam rem ſacram*, ut Inca Garcilaſſo teſtatur. Mortuos reſurrecturos Peruani credebant: unde Hiſpanos ſepulchra violantes deprecati, ne oſſa turbarent, impedimento id reſurgentibus fore rati. Muhammedanorum ritus flumine peccata abluendi, proximè Peruanos Opacuna ſua imitatos, Acoſta ſcribit. Mirabilis quoque Convenientia inter Monachos Cataiæ & Me-

 xicanæ.

xicanæ. Vtrique rasi, cultu corporis, officio, vita iidem: sicut de Mexicanis & Sinensibus Acosta, de Cianduanis & Sachionensibus Venetus testatur. Et notandum est Sinenses atque Iaponenses quoque Sacerdotes suos Pontifices maximos sive Papas habere: Idolis thus & alia fragrantia adolere: Conciones ad populum habere, durissimam vitam opinione vulgi ducere. Quæ omnia Mexicani quoque fecerunt. Ex quibus apparet Convenientia inter Religionem Mexicanorum, Peruanorum, Kataiensium, Sinensium ac Iaponiorum: quomodo Christianismum paulatim ad profanos & impios ritus detorserint. Vbi non quidem negarim, id quod Acosta toties inculcat, Diaboli fraudibus hæc contigisse. Sed id minus probabile videtur, excogitata hæc in ipso Novo orbe, non illata ex illis, ubi hodieque obtinere videmus regionibus Asiæ, unde factam in Americam transmigrationem variarum gentium constat. Mira in Sinis & Iapone Religionum varietas: quæ duabus præcipuis Amidæ & Xacami sectis continentur. Venetus: *Idola apud Zipangrios varia, Capite bovino, porcino, canino. Erant quibus duæ in uno capite facies, erant quibus tria capita, tres manus: aliis viginti vel centum etiam.* Sicut in Sinis quoque Idolum triceps; capitibus se mutuo respicientibus, quod denotare dicunt,
tres

tres unam voluntatem habere. Cujus expreſſa in Peru memoria; ubi myſterium Trinitatis per diverſa Idola adumbrarunt, ex quibus unum erat, *Tangatanga* nomine, quod in unitate trinum, in trinitate unum eſſe dicebant. Quanquam & heic Garcilaſſus Acoſtæ contradicat.

CAP. XVI.

Solis cultus idem in Peru & Sinis. Intipcharin. Peruanorum Dii. Pachacamac. Guacæ. Hiſpanorum errores. Reſpondetur objectionibus.

CÆterum Solis cultus in Peru & Sina idem fere. Omnes Incæ, id eſt cives Cuzconenſes vocabantur *Intipcharin*, Solis filii. Si quis alius ita ſe vocaſſet, blaſphemia erat & morte plectebatur. Sol ipſorum pater. Nec ullibi terrarum tam ſolemnis Solis cultus quam in Sina & Peru. Igitur argumentum Grotii validum eſt: *Solis cultus apud Peruanos fuit. Idem ab omni ævo præcipuos apud Sinenſes, & quomodo Rex Sinenſium filium ſe dicit Solis: Sic Inchæ Peruani imperii Reges ſe dixere.* De Sinenſibus Trigaultius: *Regem ſuum vocant filium Solis &* Thiencu *id eſt filium cœli ſive Dei.* Vnde fieri poteſt ut nomen *Inca* fluxerit. Nec exceptio valet: *Solis cultum apud multas gentes viguiſſe.* Nam argumentum non ducitur à Solis cultu ſimplici, ſed tam accurato & exquiſito.

quisito. Peruani Deos suos in visibiles & invisibilem dividebant. Invisibilis Solus *Pachacamac*, id est creator mundi. Atque hæc propria Dei vox apud Peruanos, quasi eos caruisse, falso ut alia multa, Acosta tradit. Hujus invisibilis Dei filii visibiles erant, Sol, Luna, Stellæ. Quæ Hispani de Guacis & variis Diis, ex non recte intellecta lingua finxerunt, Garcilasso diligenter annotavit. Porro Sinenses ipsi quoque cœli & terræ Regem ac deinde Solem venerantur, nec in re discrimen sed ceremoniis quibusdam. Ac illud quod utriusque gentis Reges filios Solis se dixerunt, non leve Originis argumentum est. Nec id vim infringit; *Mexicanos, Tunios, Novo-Granadenses idem fecisse*: quippe ejusdem hos Originis, vel non multum diversæ, ultro fatemur. Certum quoque, *Diabolum eadem arte in seducendis Americanis ac Græcis & Romanis usum*, ita tamen ut Origines non confunderentur. Nam alias quæ ratio dari potest, cur in Peruvia potius & Mexico Sinensem cultum, & non alibi, vel alium, instituerit?

FINIS.

LVGDVNI BATAVORVM,

Typis PHILIPPI DE CROY, Arnhemo-Geldri, 1652.

